Digitized by Google

PERSII TREVI

AD LIBRVM DE SERO LACTIS STEPHANI RODERICI Caſtrenſis Luſitani

DECLAMATIONES,

ſeu priuatæ quædam ac domeſticæ Exercitationes.

Errato meo nulla venia. Rectè facto exigua laus. Cicero con. Rul.



Cornelio Francescucci

PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAM[OISY,]
viâ Iacobæâ, ſub Ciconijs.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

M. DC. XXXII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLARISSIMO VIRO D. D.

FR. CITESIO

CONSILIARIO ET MEDICO REGIO EMINENTISS. Card. Ducis de RICHELIEV, Clinico atque Facultatis Medicæ Pictauienſis Decano.

QVID *cauſæ ſit cur communi quodam ſenſu Nationes Vniuerſæ tantum hoſpitibus tribuant, vt eos venerandos putent, & iure ſacroſancto velint eſſe, non eſt huius officij quærere: neque ſinit humanitatis tuæ toties Elegantia perſpecta, vt eam magno verborum ambitu & rationum momentis, vel circum-*

ueniam, vel irrumpam, ne de candidiſſimis moribus tuis, & vrbaniſſimis durius aliquid ad repulſam videar ſubuereri. Neque verò vnquam barbaram illam & immanem ξενηλασίαν probaſti, vt iam addubitem ne ſi deductor ſim hoſpitis ac peregrini hominis, aut inurbanè accipiatur, aut ferociter eÿciatur. In aduenam certè paucis ante diebus ex inſperato incidi Romano ſchemate indidémq; Româ profectum; ac, quæ huius Vrbis in amplitudine tanta ſolet eſſe deerratio, Vagantem & incertum ſui. Hunc igitur excepi domo, ſed cùm clariſſimæ Vrbis lucem quæreret, è que domeſticis tenebris in ſolem prodire vellet; diuerſorem ad te (Vir clariſſime) deduxi.

Atque aliquanto etiam audacius quàm ſolerem, quod cùm intelligerem ingenij te comitate inferiorẽ eſſe nemini, tum hoſpitem meum tibi ſtudiis parem & ad inſtituta moreſque tuos appoſitum viderem. Excipies igitur ingredientem amico amplexu, fouebis humanitate blanda, defendes authoritate ſumma. An potius hoſpitalis illa tua Minerua cui ſe deuouet atque addicit Clypeo teget, haſta vlciſcetur? certè impetrabit à te patrocinium, qui nemini vnquam tuam opem denegaſti. Vale Vir ornatiſſime & diuturna valetudine fruere quã arte tua omnibus impertiris.

Tuus ad dictiſſimus ſeruus
SEBASTIANVS CRAMOISY.

Digitized by Google

TRIVMVIRIS
MEDICÆ REIPVBLICÆ conſtituendæ Hippocrati, Celſo, Auicennæ,

SER. EPITIMIVS DICÆVS.

ABSENTIBVS Vobis, Viri Aſclepiadei, ſenatus frequens in Apollinis æde habitus eſt IV. Cal. Septemb. Complura ex conſuetudine relata fuerunt ad amplitudinem, ſplendorémque Reipub. noſtræ pertinentia: inter cætera verò, quæ maximi intereſſe videbantur, relatum fuit à C. Philetio Luſitano *De Sero Lactis*, déque eius vi & facultate. Senatorum plerique vel tanti viri auctoritate permoti, vel (quod de Romanorum nonnullis, Mediola-

Digitized by Google

nenſibus, Neapolitanis, ac Patauinis mihi renunciatum eſt) ab eo palam ambiti & rogati, in eius ſententiam deſcēdebant. Quinimo cùm non Senatores modò, verùm etiam, quibus in Senatu ſententiam dicere licet, eodem omnes pedibus irent, iamiamque Senatuſconſultum inſtaret, P. Philalethus Tribunus plebis interceſſit, vt ne quid detrimenti noſtra inde Reſpublica caperet. Itaque ex S. C. mandatum eſt mihi Ser. Epitimio Dicæo, de re vt cognoſcerem, cognitaq; referrem ad Vos, vt inde, Viri ſapientes, videatis, quid è re ſit noſtræ Reipublicæ, interpoſitoque decreto de tota controuerſia conſtituatis. Dij Vos nobis ſeruent incolumes, & noſtræ Reipub. Cal. Septemb. M. Gilopho iterum Conſ. ſine Collega.

Caſtrēſis Romanos Medicos, Neapolitanos, Patauinos, & Mediolanenſes per litteras rogauit, vt ſcripto ſibi præſto eſſent, ſuoque commentario pro ſuis quiſque viribus opem ferret.

PERSII TREVI
AD LIBRVM
DE SERO LACTIS
STEPHANI RODERICI
Caſtrenſis Luſitani

DECLAMATIONES,

Seu priuatæ quædam ac domeſticæ Exercitationes.

Seri frigiditas: Num ex aciditate hæc argui poſsit? An ſerum ſicut lac frigidum?

CAPVT I.

QVæ de ſero, vir clariſſime, non quæ de lacte à te ſcripta ſunt, hîc perpendere conſilium eſt. Itaque poſthabito primo libelli tui capite, in quo circa la-

Digitized by Google

ctis naturam parteſque verſaris, ad ſecundum ſtatim accedo: idque eo libentiùs, quòd magnis tu diſſidiis hîc tumultuari incipias, quodque & mihi ex eodem loco difficiliores multò dubitationes: in ipſo eius capitis veſtibulo tecum mihi lis eſt & controuerſia. Hæc ſunt tua verba: *Quod de lacte diximus, ſero poteſt adaptari, videlicet ex facilitate aceſcendi ſi reponatur frigiditatem colligi: aceſcit ſerum ſicut lac, ergo ſicut lac frigidum cenſendum eſt.* Tuum hîc conſilium eſt, ſeri qualitates expiſcari; & ex facilitate aceſcendi frigidum eſſe probare. Ego verò ſicuti de ſeri qualitate ferè tecum ſentio; ita à te omnino diſſentio de modo eius qualitatis inueniendæ. Nam præterquam quod etiam calida, vt vinum, facilè aceſcunt, ex aceſcendi promptitudine aceſcentis frigiditas intelligi non poteſt. Firma ſanè mihi ratio; ſi ex promptitudine ad aciditatem contrahendam rem aceſcentem frigidam eſſe ſtatuere liceret; profectò quò res ad aceſcēdum promptior, eò frigidior exiſtimanda. ergo ſerum frigidius multò papaueris ſucco, cicuta, mandragora, hyoſcyamo. Aperta res eſt, cùm conſtet ex Galeno ſerum his omnibus longè faciliùs aceſcere: liquidò

conſtet 4. ſimpl. 15. *Quæ ſummè nos refrigerant*, inquit Galen. *velut cicuta, papaueris ſuccus, hyoſcyamus, mandragora, minimè omnium acida ſunt*. Inquies hanc te Philoſophiam mutuatum eſſe ex Galeno, loco fortaſſe nuper laudato (nam vix aliunde eam tu compilare potuiſti.) Profectò inde intelligi tantùm poteſt, ad hoc vt res quæpiam contrahat aciditatem, neceſſe eſſe, vt ab externo alienoque afficiatur calore: non quidem vincente & ſuperante, ſed alterante tantùm & immutante, vt ex ructibus acidis liquidò conſtat. *Nam hi, cùm nulla planè facta eſt ciborum alteratio, prouenire non ſolent; ſicuti nec vbi optimè cocti, ſed tantùm vbi ſemicocti fuerint*. Galenus ibid. Quod quàm ſit alienum à tua Philoſophia nemo non videt. Tu verò tantum tribuis tuæ iſti aciditati, vt vnumquodque ea explorare poſſe autumes. Non ſolùm enim ſeri qualitates naturamque ea explorare contendis, ſed eius etiam gradus metiris; atque adeò cum lacte mutuam aperis cognationem; imò cum caſeo apertam affinitatem; *In ſero*, inquis, *cognoſcitur pars caſeoſa, tum odore, tum ſapore, tum etiam albedine, necnon etiam ex facilitate aceſcendi, ſi reponatur*: Mehercule tua iſta aciditas præſtantior eſt.

Pelei machęra,gladioque Delphico,aut mirabilior optico Galilei tubò; cum ea ſola in ſero, in lacte, in caſeo qualitates naturamque perſcruteris, explores omnia, ac perſpicias. ſed præſtat iterum te loquentem audire : *Aceſcit*, inquis, *ſerum ſicut lac, ergo ſicut lac frigidum cenſendum eſt.* ſerum ſicut lac frigidum? apertè falſum. lac enim non ſolùm acriuſculas illas, calidaſque ſeri qualitates obtinet; ſed butyri etiam calore (nam huic non calidas modò, ſed igneas ineſſe partes, ſcribis ex Libanij ſententia cap.8.tui Comment.) præditum eſt. Ergo plus lacti, quàm ſero caloris ineſt; plus ſero, quàm lacti ineſt frigoris. ſerum ergo non *ſicut lac frigidum.*

Dicet aliquis tui ſtudioſus, amanter interpretandas eſſe auctorum ſentẽtias, in æquiorem ſemper partem accipiendas:ſerum ſicut lac frigidum, non ita intelligendum eſt, vt eodem, quo lac, frigoris gradu præditum ſit: ſed ſicuti lac ex aciditate innoteſcit eſſe frigidum; ita ex eadem ſeri frigiditatem innoteſcere. Ceterùm (dicam liberè) nimis tu amicus es, amanter nimis accipis Roderici verba, cùm ita loquentem eum facias, vt loqui potius deberet, quàm vt verè

loquitur. Ego verò *Æthiopem ex vultu iudico:* quæ loquitur attendo, non quæ loqui aut tu cum velles, aut is omnino deberet: candidè tamen ſemper, ſine fuco & fallacia more maiorum. Sed rem diligentiùs examinemus: *ſerum ſicut lac frigidum.* Particula *ſicut* ſimilitudinem ſignificat inter lac & ſerum. Ergo vel in ſpecie hæc eſſe debet, vel in gradu. In hoc eſſe nequit, vt meis victus argumentis, tute nuper faſſus es. Neque in ſola ſpecie, hoc eſt, in ſolo frigore: quia ſi ſerum inquies eſſet frigidum ſicut lac, habita tantùm ratione ſpeciei; ego ſic impunè loquor, ſerum frigidum eſt, ſicut lactuca, ſicut papauer, cicuta, mandragora, hyoſcyamus, opium, &c. abſurdiſſima hæc loquendi ratio abſurda non eſſet ex te, ſi particula *ſicut* non gradum deſignaret, ſed ſpeciem. Parœmiograph.

Neque tergiuerſeris effugiens argumenti mei vim. Hoc attende, omnino attende, *ſicut* ſimilitudinem ſignificat vel in ſpecie, vel in gradu: ſiue vel communem, vel peculiarem; non aliam, quia nulla prætereà eſſe poteſt, ne animo quidem ficta. Itaque non effugies periculum à meo tibi tuæque doctrinæ imminens argumento, etiamſi *Lauereum geſtares baculum.* Plin. lib. 15.

Quænam ſeri partes calidiores, aut frigidiores ſint? Tenuioreſne, an craſſiores? Galeni locus expenſus.

CAPVT II.

DE partibus ſeri craſſioribus, déque tenuioribus litem infers aduerſario tuo, cenſenti, craſſiores ſeri partes calidiores eſſe; tenuiores verò frigidiores. Tu autem argumenta à Galeno mutuatus iuras, fieri non poſſe, vt, quod frigidum eſt, tenue vllo ſit modo. Ceterùm, amabo te, Galenum audiamus loquentem; *Ac quæ quidem abſolutiſſimè tenuium partium ſit, ſubſtantiam exactè frigidam inueniſſe fortaſſe non eſt.* Hîc tria notes velim; *abſolutiſſimè*, *exactè*, *fortaſſe*. nam ex hoc Galeni loco, quæ *abſolutiſſimè* tenuium ſunt partium, *exactè* frigida *fortaſſe non reperies*. Cui ſimillimus eſt locus 4. ſimpl. 15. *Non enim ſubtilis eſſent eſſentiæ, ſi exactè eſſent frigida*. Ergo abſolutiſſimè exactéque frigida ea ſunt, quæ ſubtilia tenuiaque fortaſſe eſſe nequeunt. Huiuſmodi autem an ſint ſeri partes tu, tumet iudex eſto. ſed, quæſo te, aduerte

mediam aëris regionem poſtrema longè frigidiorem tenuioremque: Cardani ætherem frigidiſſimum omnium, & tenuiſſimũ, Vitrioli ſpiritum oleo tenuiorem frigidioremque,ſeu minùs calidum: Roſarum aquam ſucco & frigidiorem & tenuiorem: Acetum ſimplex, aut potius ſtillatum, quouis generoſo vino vt frigidius, ita tenuius. Dictum eſt de tenuioribus, de craſſioribus modò nonnulla adiiciamus. Has tu putas frigidiores eſſe: ego verò calidiores. quod vt oſtendam exactam accerſo diſtillandi artem, veram ſeparationem. Craſſiores ſeri partes Hermetis arte ſeparatas, amariuſculas eſſe, ſiue potius ſalſas, ac nitroſas, lingua palatumque teſtis eſt. Nam quæ vaſis fundo hærent eis, quæ ſurſum repunt, vt craſſiores ſunt, ita magis ſalſæ, magiſque nitroſæ. Neque chymicam artem, ceu hac in re futilem, & impoſtricem reiicias; quia non per imaginationem ſecretis de ſeri partibus, ſed per veram ſeparationem ſeiunctis ratiocinandum. vnuſquiſque enim ſibi fingere poteſt, partes intellectu ſeparatas, craſſiores quidem frigidiores eſſe comminiſci, tenuiores verò calidiores. ſed hæc vana eſt, & futilis philoſophandi ra-

Hippocrat. lib. præcept. §. 2. tio: nam *inſiſtendum eſt iis quæ ſunt, ſi quis optimum habitum ſibi comparare velit.* Ergo experimentis non figmentis ratiocinandum. Videmus ſeri partes, verè non fictè ſeparatas, craſſiores, tenuiores: illas ſenſu ipſo (guſtatu) percipimus eſſe ſalſas ac nitroſas: optimo ergo iure calidas eſſe affirmamus. has nulla ſalſedine præditas, ſed quaſi acidiuſculas, vel ad aciditatem vergentes: ergo iure affirmamus eſſe frigidas. Quid ergo? experimentis, non figmentis pugno: non fingo partes ſeparatas, de quibus quodlibet ipſe mihi creare poſſum, quodlibet fingere; ſed reuerà ſeparo, quas ſenſus æſtimat, acclamante ratione.

Neque dicas, quod in fundo vaſis ſubſidet, caſeum eſſe, ignis vi excoctum, quia præterquam quod

Homer. Odiſſ. 2. *Dedecori res iſta profectò dedecus addit.*

& ipſe dicam, tuũ id eſſe commentum, nulla fultum ratione. quod ſicuti tu gratis aſſeris, ſola aſſertione munitus; ita ego ſola negatione contentus idem improbare poſſum. Proba, & annuam. Ego ſanè haud difficulter tibi probabo, nitroſas, non caſeoſas eas eſſe. Nitroſas in ſero ineſſe partes, auctor eſt Meſues, hac in re ferè omnium fide digniſſimus. Has

chymica induſtria ſecerni poſſe, ne is quidem negabit, qui odio pluſquam vatiniano hermeticam proſequatur, ne Riolanus quidem, qui hermeticis acre bellum indixit. nam purum ab impuro, craſſum à tenui chymica ſeiungi poſſe arte, nemo ſani ſyncipitis negare poteſt. Quod igitur in fundo vaſis ſubſidet, cùm craſſum ſit, amariuſculum, ac nitroſum, eas eſſe ſeri partes, quæ à Meſue nitroſæ dicuntur, omnino veriſimile eſt: imò veriſimiliùs multò, quàm denuo eſſe genitas caloris vi. ſed hæc innuerim potius, quàm probauerim. opportuniùs enim, deditaque opera capite nono, vbi quæritur, an nitrum inſit in ſero.

Coſtæus aduerſus Rodericum & Mercurialem defenſus. Perpenſus Galeni locus à Roderico perperam acceptus.

CAPVT III.

NVLLVM ferè prætermittis locum Mercurialis laudandi, extollendi. neque ſanè id repræhendo, immo

effero ſummis laudibus. Illud tamen ægrè fero, non id te Mercurialis laudatione, ſed Coſtæi potius repræhenſione præſtitiſſe. ſed, vt vt eſt, perpendamus, quæ à Coſtæo, quæque à te vnà cum Mercuriali ſcripta ſunt. Ille Galenum, & Meſuem, de ſeri qualitatibus diſcrepantes, componere contendens, ait, ſerum dici poſſe calidum, ſi ad purgandi facultatem referatur; frigidum, ſi ad ſemetipſum, ad humorem & aquoſitatem ſuam. (nam libenter perſpicuitatis gratia, *cum Care cariſſ.*) Repræhendis hæc repræhenſione è Galeno accerſita 1. ſimpl. 2. vbi ſcriptum eſt, medicamenta reſpectu naturæ corporiſque noſtri ſtatuenda eſſe calida, v. g. frigidaue. Nam cicuta cum humano corpore cōparata frigida conſtituenda eſt, & fortaſſe ſummè frigida; comparata verò cum ſturno, non ita: cùm nos interimat, ſturnos alat, ferè temperata eorum naturæ exiſtēs. Verum quidem hoc, V. C. veraque Galeni mens: ſed (pace tua dixerim) animaduertiſti quidem quod in calce eius Galeni capitis ſcriptum eſt, optiméque, vt poſtrema ſolent, id tenes memoria; ſed quod in fronte eiuſdem Galeni capitis ſcriptum eſt, omnino excidit. *Aurem velle;*

Diogenianus in Parœmiis.

aut ſaltem patere, vt quaſi *ex Ilio te ducam.* Audi Galenum his verbis caput ſecundum exordientem, *imprimis & maximè ſumendum eſt iudicandæ facultatis experimentum ab ea re, ad quam dicitur. ſiquidem non protinus ſi hominem refrigeret cicuta, & ſturnum refrigerabit.* Imprimis, & maximè inquit Galenus ſumendum eſt experimentũ iudicandæ facultatis ab ea re, ad quam dicitur: ergo non ab ea ſolùm, non omnino ab ea. Etenim etſi cicuta longè minùs ſturnum, hominem longè magis refrigeret; & ex ſe tamen ſuapte natura frigida eſt. Quare puto, *à re, ad quam dicitur,* non omnino deſumi qualitates medicamentorum, ſed eorum potius definiri gradus. Vnde cicuta fortaſſe ſummè frigida erit homini, ſturno verò quaſi temperata; cùm hunc nutriat, illum interimat. Itaque non euertis Coſtæi conciliationem iſtac è Galeno à te deprompta auctoritate: immo nolens & inſcius eam fulcis multò firmiùs. Ceterùm reuerà Coſtæus ad Meſuem ea ferè affirmat, quæ tu eum negare dicis. Lector, ſi lubet, vide locum, vide Galenum à Coſtæo ibi expreſſum.

Heliodorus lib. 1.

Vnde ſero purgandi facultas? Num ex butyro? Quanam ratione ac vi ſerum purget?

CAPVT IV.

LONGE' maius, ſed amicum, mihi diſſidium hîc tecum eſt. Eam, quæ ſero ineſt, purgandi vim è butyro contendis emanare: ego, non è butyro, contendam: primò quidem Galeno & Meſue, mox ratione, demum experimentis. Hiſce tribus quaſi tripartito agmine munitus, tecum ita congrediar; vt tu aut victus mihi manus dare cogaris, aut ſaltem fuga ſalutem petas. ſed concurramus, leuis primò armaturæ milite. Galenus 3. de alimentorum facul. 15. ſi quis, inquit, ex lacte, lapillis, ferriſue ignitis ſerum abſumat, interire ait purgandi facultatem, alui cohibendæ vi accerſita. Verùm quia lac, omni ſero ſpoliatum, facilè in ſtomacho cogitur in caſeum, proptereà aut mel, ſalémque adiungit, aut ſuperinfundit aquam. Quia verò non nemini mirum videri poterat, Galenum, & antiquiores, cò ſedulò incumbentes,

vt à lacte adimant aquam propriam, aquam tamen, quaſi priſtini conſilij pertæſos, lacti affudiſſe, proinde ſubdit Galenus, *Non enim humiditas eſt, quam fugiunt*, (medici antiquiores) *ſed acrimoniam, cuius occaſione lac omne aluum ſubducit.* Itaque lac ex Galeni ſententia à ſero mutuatur purgandi facultatem: à ſero, inquam, hoc eſt, ab eius acrimonia, non humore, &, vt ita loquar, aquoſitate. Hæc autem acrimonia quidnam ſit, quibuſue inſit ſeri partibus, tu, aut alij viderint. Nolo enim impræſentia tibi vel litigandi, vel tergiuerſandi anſam præbere. Illud omnino affirmo, eam non eſſe butyrum, neque butyro hærere: ac proinde non ab hac ſerum purgandi facultatem accepiſſe. A quonam igitur? A nitroſitate, ſi credimus Meſuæ; ab acrimonia, ſi Galeno. Te verò, qui neutri credens è butyro eam depromis, philoſophantem audiamus, audiamus nouam iſtam tuam ſubtilemque ἀπόδειξιν; ſerum, inquis, cùm aquea ſit ſubſtantia, immo aqua ipſa, ex ſe nullam habet purgandi vim: ergo ab alio quopiam eam mutuetur neceſſe eſt: non à caſeo, ergo à butyro: nam pars in lacte prætereà nulla.

Sed, amabò te, mi Roderice, quidnam

tibi vis ſeri nomine? Conueniamus primò de re nomineque. Humorem ne & liquòrem illum, è ceteris lactis partibus ſeiunctum? Nimirum. Cur hic ex ſe purgandi vi non pollet? Quia pura, inquis, eſt aqua, pura puta. Hic ſanè te aucupatus ſum, nec profectò euades ab aucupio: nam verè

Ouid. de arte. *Decidit in caſſes præda petita meos.*

Humor ille pura eſt aqua, ex ſe ad purgandum inepta, admiſti butyri beneficio purgans, vt ais. At ſi ita, cur idem non præſtabit elementaris vulgariſue aqua eodem permiſta butyro? Mehercule butyri guttulis cum aquæ amphora propinatis, vberrima expectanda tibi eſſet purgatio. & omnino expectanda, ſi de butyro, ſeroque ex animo ſcribis. Etenim nec aqua ſeri quicquam impertitur butyro, quod idem elementaris impertiri nequeat; nec butyrum ſeri aquæ, quod idem puræ putæ nequeat impertiri.

Dices, hoc intereſſe inter elementarem & ſeri aquam, quod hæc acris ſit, ex Galeni ſententia, ex Meſue nitroſa. Hęc cauillatio eſt mera cauillatio, *Nec vmquam tibi erit Hermionis vice.* Nam velim dicas, aqua lactis purgat ne huiuſmodi

Ariſtophanes in Bacchid.

acrimonia, aut nitroſitate? ſi purgat, ergo aliunde ſero purgandi facultas, quàm ex butyro: ſin minùs, ergo nihil intereſt inter vulgarem & lactis aquam. Neque dicas, purgare quidem, ſed infirmè; addito verò butyro, valentiùs; quia hoc nouum eſt commentum, tuo non adſcriptum commentario, imò ei omnino repugnans. Iam verò viſne clariùs intelligere, ſerum non è butyro purgandi facultatem mutuari? conſidera bubulinum lac, conſidera aſininum. Quod nam ex his ad purgandum (ad ſoluendam aluum ſemper intelligo) valentius, hoc, an illud? hoc mehercule. nam non Galenus modò hoc eligit, quippe valentius, illo poſthabito, quippe infirmiore; ſed omnes omnino Medici. At hoc minùs butyratũ, illud multò magis. Non ergo butyro purgat ſerum, ſed ſero, hoc eſt ſua, non aliena vi & facultate.

Prætereà Medici omnes conſueuerunt (à qua tu conſuetudine nullo modo abhorrere debes) vt ſero purgent, diligenter illud à butyro ſeparare. Hoc ſanè aliud eſſet nihil, quàm, ſi vera ſcriberes, omnem ſero purgandi facultatem adimere. At illi eò feliciùs purgationem futuram expectant, quò diligentiùs ſe-

rum non ſolùm à caſeo, ſed etiam à butyro abſtrahunt.

Sed, ſi me amas, pauliſper attendamus Galenum. Lac aſininum magis aluum ſubducere, quia feroſius, ait 4. Acutor. 109. & 3. de alim. facul. 15. ineptè: quia butyroſius dicere debuiſſet. At reuerà nõ butyroſius, ſed ſeroſius, id eſt, butyro omnino contrarium. Ergo falsò, ne dum ineptè. Hac ratione ludificare liceret præſtantiſſimũ virum, Principem ſenatus noſtri (nam Hippocrates perpetuus eſt Medicinæ Dictator) ſi vera ſcriberes.

Accedit, quòd emplaſtica butyri vis eſt ex Galeno v. ſimpl. at ex eodem cap. v. lenta hæc craſſaq; ſunt, obſtruunt meatus, facilè firméq; adhærent, ſegnitérq; extruduntur. ac proinde vel inepta, vel non ita, vt tu prædicas, apta ad purgandum. ſed hæc tua ſententia (fas ſit loqui) [Iuuenalis.] *Nata infelicibus auibus*, adoleſcere non [Plutarchus.] poteſt; mihi crede, ἐφήμερος ἐστὶ, & penè dixerim, φάρμακον ἐφήμερον.

Iam verò audio, qui obiiciant, me deſtruere quidem doctrinam tuam, meam verò non conſtruere. ſi ſerum butyri beneficio non purgat, qua ratione purgabit, quo adminiculo? Nullius: aqueo tantùm ſuo humore, ſua tantùm acrimonia,

nia,ſua nitroſitate. Ergo abluendo, tergendóque, vellicãdo,ſtimulando. Num etiam electiuè, vt vocant? Anceps hæreo, & *in portu*, vela facere non audens; ſeptimo tamen huius opellæ capite *vela ventis permittam* Hippocratis auſpiciis, leniſſima eius, vt ſpero, aura proſequente. Interim ad caſeum tuum recentem accedamus hilari animo, auido palato. Iuras aluum ciere recentem caſeum cum melle ſumptum promulſidis loco, ante alios cibos, idque butyri admiſti beneficio. Fieri ne poteſt, vt tantum tribuas tuo iſti butyro, vt vel guttam, quam in recenti caſeo expiſcaris, aluum ſoluere credas? Mehercule ſi butyri loco tantumdem rhabarbari, ac ferè etiam ſcammonij inſereres recenti caſeo, vix eam, quam tu de butyro ſpondes, purgationem patraret. Caſeum recenter coactũ, ſi ſumatur ante alios cibos cum melle, purgare aluum ſcripſit Galenus. Fateor. An proinde quia butyratum? Minimè gentium; ſed quia mellitum. Caſeum comede recentiſſimũ abſque melle, ſatia te, vt *Auro Craſſus* (abſit, non ex animo) recenti caſeo, ita fiet, vt re doctus, caſeoque ipſo admonitus, ab iſtac tua ſententia in noſtram diſce-

das. Mel autem aluum ſubducere, notiſſimum eſt. Audi Meſuem de ſero loquentem; *ſed cum imbecillum ſit ad purgandum, cum melle ſumptum ſanguinem potentiùs purgat.* ſed quæ Galenus 3. ſimpl. 14. de Ru ſucco ſcriptum reliquit, aptiùs quadrant melli, recentique caſeo. Ru ſuccum (vt omnino caſeus) aluum adſtringere, ait Galenus: miſtum verò melli eamdem ſoluere. Dubitandum ergo non eſt, quin recentis caſei alui laxandæ vis in mel ſit referenda.

Sed ad butyrum, ad caſeum Placentinum, Parmenſem, ex Hollandia, Belgiaque aduectum caſeum velim, mea cauſſa, attendas. Hi aluum ſubducerent, & ferè diarrhœam concitarent, ſi ea eſſet caſei butyrati vis, quam prædicas. nam adeò illi butyrati ſunt, vt ſciſſi, butyri guttulas fundant.

Ceterùm, V. C. eſt, cur multi tibi gratias agant, meo iudicio, aut habeant. Magnam enim tu ab iis qui ſegniori aluo præditi ſunt, gratiam iniuiſti præſtantem eis ſuppeditans ſoluendæ alui medicinam. Maiorem certè ab iis, qui præterea gulæ indulgent, cùm non modò præſtantem, ſed gratam etiam, palatoq; ſuauem eis medicinam apponas. *Omne*

vtique tuliſti punctum, qui miſcuiſti vtile dulci, omnique præſtantis Medici munere functus es, qui *tutò, citò, iucundè curaſti.* ſed hactenus de iocis, ne nugari videamur in re ſeria. Illud omnino peruelim, vt de recenti caſeo loquamur cum Galeno, ſiue potius, niſi tibi graue ſit, noſmetipſi caſearij munere functi (neque enim dedecet aut Philoſophum, aut Medicum vilia hęc tractare: ſcis illud Athænei, *Zenonis eſſe & lentem coquere*) illum cogamus ex pinguiſſimo lacte, ea ſcilicet ratione, qua cogendum præcipit Galenus loco citato, *Seroſo duntaxat humore per coagulum ſeparato* (ſunt Galeni verba) reponamuſque ad annum. Quæro ex te, num hic ſubducat aluum? ſanè, ſi ſani ſincipitis, non ſubducere omnino reſpondebis: etiam ſi *adeò pinguis ſit, vt ex eo effluat quippiam ad ſpeciem olei;* vt inquit Galenus. Neque dicas vetuſtate amittere purgandi facultatem, quia ex Galeni loco nuper laudato; vetuſtate fit calidior ac tenuior; ergo aptior ad purgandam aluum, ſi vera ſunt, quæ ſcribis. nam tenuitate magis penetrat permeatque, calore purgat magis. ad purgationem enim calorem vndique conquiris, ſeroque è butyro accerſis. itaque ex bu-

Aſclepiades apud Celſum.

Gal. 10. ſimpl.

Lib. 11.

tyro paulò calidiori paulò vberiorem purgandi facultatem nanciſceris. Neque quicquam obiicias de ſale, adeò vt huius opera & maleficio vetus caſeus exuat purgandi facultatem. nam ſal ſi caſeo adimeret huiuſmodi vim exiccando adimeret, abſumendóque butyrum: at hoc abſumptum non eſt, cum ex eo ſciſſo lacrymulæ ſeſe promant. Quinimo tantùm abeſt vt ſal adimat hanc facultatem, vt potius impertiatur vberiùs. Attende Galenum 3. de alim. facul. de lacte ſeroque loquentem, *Quòd ſi ipſum magis ſubducere velis, ſalis quamplurimum iniicies.* Accuſabis fortaſſe me oſcitantiæ inſcitiæque, qui, de caſeo loquens, Galenum proferam de ſero loquentem. ſed audi eundem de ipſomet caſeo, *Leniunt, & caſeum quando ei miſcetur ſal & mel.*

Sed, obſecro te, V.C. præbe aures alij Galeni loco, qui tuam de recenti caſeo opinionem funditus euertit, qui apertiſſimè probat, recentem caſeum abſque melle non modò non purgare aluum, ſed eam potius cohibere, *Caſeus recens & mollis duro & ſicco flatuoſior exiſtit, minuſque quàm durus ſiccuſque adſtringit, hoc eſt aluum ſiſtit.* Ergo vterque adſtringit, aluumque cohibet, licet alter magis, minùs alter.

4. Acutorũ 91.

Sed de caſeo hactenus: ad butyrum reuertamur. E Græcia video te nauigantem in Arabiam. iurè nauigas. nam irrito Græcorum auxilio, meritò ab Arabibus ſuppetias imploras. Ex Auenroë butyri beneficio ſerum purgare contendis, quippe is auctor 3. Coll. x. ſcripſerit, vnumquodque purgans calidum eſſe. Cùm ergo ſerum, ſuapte natura frigidum, nonniſi è butyro calorem, vt ais, mutuari poſſit, certè nonniſi ab eodem purgandi facultatem. Sed non erat, cur leui hac de cauſa tam longam nauigationem ſuſciperes, è Græcia in Arabiam vela faciens. Facillimè poteras, minimóque negotio in eademmet Græcia idem expiſcari argumentum: *Quæcunque medicamenta purgatoria ſunt, omnia valde vrunt,* ait Hippocrates 4. de Mor. & alibi, *Febrienti caput ne purgato, vt ne furioſus euadat; calefaciunt enim pharmaca purgatiua.* Et Galen. *Quæ purgant latentẽ habent calefaciendi facultatem. Sed hæc hactenus, ne videar περὶ μικρὰ σπουδάζειν.* Iam verò è butyro tu purganti ſero purgantem calorem acceſſis. Iniuria. nam non omnia, quæ quouis modo purgant, calida ſint neceſſe eſt. Roſæ, violæ, tamarindi purgant fortaſſe abſque calore, & omnino abſque

De Loc. in Hom.

Cic. Att. lib. 13. epiſt. 21.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

calore, ſi tibimet credendum eſt cap.9. Sed eſto ad purgandum aliquid caloris opus eſſe: nonne hic ineſt in ſero, omni ſepoſito butyro? Profectò id tu faſſus es paulò ante, acres, calidaſque ei qualitates attribuens. Excidit, inquies. Memoria culpam ſuſtineat.

Butyracea purgandi facultas. Num ex ſeſe, an ſero miſta magis purget? Quid impertiri, quid mutuari poſsit à ſero?

CAPVT V.

CREVIT opus in manu: vrceum cœpi, ſed currente rota exit amphora. Paucis principio te volebam, nũc tamen pluribus tecum agere neceſſe eſt. Tertia & vigeſima libelli tui pagina, ne lynceus homo (feriò lynceus) in re perſpicua cæcutire videreris, quamdam ipſe tibi offers obiectionem, quam, credo, ſi commodo exiſtimationis tuæ facere potuiſſes, libentiſſimè ſubterfugiſſes. Sed animus te vicit: audacter ea vltrò obiectare voluiſti, quæ abſque ignauiæ ſuſ-

picione à te prætermitti non poſſe exiſtimabas. Infirmam, fateris, butyro ineſſe purgandi facultatem: ſero longè firmiorem. non ergo purgandi vis ex butyro deriuatur in ſerum. Propulſare niteris huius argumenti vim ex violis acceſita ſimilitudine: quæ infuſæ quidem haud exiguam purgandi facultatem adipiſcuntur; abſque infuſione tamen vix purgant, imò ne vix quidem. Id ipſum, inquis, butyro accidit. nam etſi ex ſeſe purgandi vi omnino exigua præditum eſt, ſero tamen miſtum multò validiori pollet. hoc enim *infuſionum mater* appellatur à Meſue, *fundamentum infuſionum.*

Ceterùm (ita Deus me amet) diu multúmque cogitaui, perquiſiui, indagaui haud oſcitanter, haud negligenter, quidnam impartire poſſit aut butyrum ſero, aut ſerum butyro, vnde ſtatim atque cõmiſta ſunt, validam purgandi facultatem nanciſcantur. Ante miſtionẽ vtrumque per ſe indigens & effætum, vt ais, poſt miſtionem, vtrumque validum. Intende mentis aciem, ingenij viribus neruiſque omnibus contende. *Rudentem omnem, omnia demum ſacra commoue*, vt aliquid ex hac miſtione natum, ad purgandum efficacius eruas, nobiſq; oſtendas. Plautus a.1.ſ.1. in Pſeud.

Plautus a.1.ſ.1. in Perſa. *Sed verè tu aquam è pumice poſtulas.* Neque obſecro te, violas oppone. nam pudet has cum butyro conferre, pudet referre, quæ de ambobus tu aſſeueras. De violis ita ſentio. Purgandi vis in purioribus ſita eſt earum partibus: quæ vt ab impura earumdem ſubſtantia obtunditur, & hebetatur; ita elicitur fugiturque per infuſionem. Quare ex iis partibus, in quibus cohibebatur, per infuſionem abſtracta, valentius purgat. Hæc de violis ſentio: neque vereor, ne tu eadem ſentias: quæ ſi butyro tuo aliqua ratione accommodare poſſes, vt tu mecum de violis, ita ego de butyro tecum ſentirem. non enim hæc noſtra diſſenſio *Empedoclea ſimultas eſt.* Diogenianus.

Ceterùm, V.C. liberiùs tecum loquar oportet, bono veterique ritu. Pugnantia de butyro loqui videris. Veritate coactus, faſſus es, exiguam hoc habere purgandi facultatem: ſero miſtum non mediocrem nanciſci. Conferto hæc, ſi me amas, cum iis, quæ de recenti caſeo à te nuper ſcripta ſunt. Butyrum ibi, aut potius butyri guttulas, in caſeoſa compactaque ſubſtantia, ad purgandum omnino inepta, imò ad cohibendam aluum planè apta, coartatas aluum ciere

affirmas. Hîc verò eaſdem butyri partes, ad hoc, vt purgent, humore ais indigere, caſeo omnino contrario. Ibi cogis coartaſque butyrum, hîc laxas & fundis, vtrobique purgationis cauſſa. Mehercule ſi vt Protheus varias contrariaſque formas, ita butyrum tuum diuerſas indueret facultates: ſi non propriæ naturæ, ſed tuo nutui obtemperaret; quæcunque tu iuberes, illico butyrum exequeretur, non poſſet, ita viuam, tam varia præſtare, tam contraria.

Iterum de butyro, déque ſero: Dioſcoridis & Galeni loca perpenſa; Meſuæ lux data.

CAPVT VI.

TIBI fidem non abrogo de Galeni verbis, *Quod à coactu defluit ſerum ſatis aluum mouere.* Multò minùs de verbis Dioſcoridis, quem ſat ſcio lib. 2. cap. 72. quæ tu affers, habere verba, ea hæc ſunt, *Lac quodcunque ſerum continet implicitum, quod vbi diſceſſerit à lacte, multò potentiſſimum redditur ad purgandum.* Vterque auctor ſerum à lacte ſeparatum, pur-

Hęc fortaſſe deprompta ſunt ex lib. de Bonit. & vitio ſuccorum cap. 4. Locus nō eſt à Roderico adſcriptus.

gandi vim habere ſcribunt. Tu verò ſeparatum inquis à caſeo, non à butyro; idque ſibi velle tum Galenum, tum Dioſcoridem. Longè alia mea eſt ſententia. Perpendamus primò Galeni verba: *Quod à coactis defluit ſerum ſatis aluum mouere.* Tria inſunt lacti (probè noſti) * caſeus, butyrum, ſerum. hoc cùm defluit, duo relinquit, non vnum: caſeum, butyrum: duo, inquam, ex Galeni mente, qui ait *à coactis.* Quod ſi vnum tantùm relinqueret, hoc eſt, ſolum caſeum, à coacto, dixiſſet, non à coactis. Idipſum ſibi vult Dioſcorides, *A lacte diſcedit ſerum*, nempe à ceteris lactis partibus, caſeo, butyroque, nam alioqui à caſeo dixiſſet.

*ita omnino.

Neque dicas, ſerum à lacte ſeparatum, non omnes exuiſſe butyri partes, ſed aliquas ſibi aſciuiſſe, reſpuiſſe alias: & illarum quidem beneficio aluum purgare; quia idem, & quidem veriùs, de caſeo ipſe affirmabo. nam ſerum à lacte ſecretum plus caſei, quàm butyri ſibi adiungit, vel te ipſo confitente alio loco. Cùm ergo caſeus alui cohibendæ vi præditus ſit, certè ſerum ab iis, quæ à lacte diſcedens ſecum ducit, cohibentem potius, quàm laxantem facultatem mutuabi-

tur. Sed nulla te ratione excuſare poſſum, cùm apertis verbis aſſeras à ſero nullo modo extrahi butyrum. Hæc ſunt tua verba; *Cùm autem Galenus dicat, quod à coactis ſerum defluit ſatis aluum mouere, debemus intelligere id, quod à coactis abſque butyri extractione defluit.* Adiungis Meſuæ verba, quibus tuam fulcias ad Galenum & Dioſcor. explanationem; ſed inuito Meſuæ genio, tuo nõ mediocri damno. nam tantùm abeſt, vt huius verba acclament explanationi tuæ, vt potius apertè reclament. Hæc habet Meſues ex recta, perſpicua, & eleganti Siluij interpretatione: *Fit autem* (ſerum) *ex lacte ebutyrato, ſeu à quo eſt pingue innatans ſecretum, quando lubricitatis cauſſam ex partibus excretorijs auferre volumus: ex lacte non ebutyrato, cum eas partes lenire magis & lubricare ſtudium eſt.* Quid putas ſibi velit Meſuem hiſce verbis? *Ex ſero, cùm ſumi debet ad purgandum butyrum non extrahendum.* tua ſunt verba. At ipſe longè aliud eum ſibi velle, & exiſtimo, & probo. Exhibetur ſerum ex hoc Meſuæ loco, butyro adempto, & non adempto butyro. Illud, cum excretoriis membris lenitate non eſt opus: hoc, cum lenitate opus eſt. Itaque duplici modo ex ſententia

Meſuę ad purgandum exhibetur ſerum, ebutyratum nempe, & butyratum: ebutyratum, cùm præter purgationem nullo alio opus eſt: butyratum, cùm præterea exſiccata aſperaq; membra lenire conſilium eſt. Non rarò enim accidit, vt excretoria membra præ febrili, alioue calore ita ſcabra, arefacta, aſperáque ſint, vt obliniente aliquo, & lubricante (butyro alioue) indigeant. nam alioquin tùm quæ in iis concluſa exaruerunt, excrementa; tum quæ aliunde cò prolabuntur, inde elabi non poſſunt. vnde meritiſſimè Hippocrates. *Præhumectare ante* (purgationem) *corpus oportet per fomenta, quo magis pharmacis obediat.* Serum, addis, *meliùs purgat lacte ſolo, aut butyrò ſolo, vtpote quod melius inteſtina abluat.* Si ſerum purgandi vim mutuatur omnem à butyro, non abluendo purgabit, ſed obliniendo, lubricando. hæc enim eſt butyri facultas. Quod ſi purgat abluendo, ſanè purgandi vis non ex butyro, ſed ex ſeſe. At, inquies, vtroque purgat modo. *Clypeum poſt vulnera ſumis:* imò, (quod æquè dolendum eſt) palinodiam canis; appingis modò commentario tuo, quod ſuperius negaſti, & quidem *infeliciori Steſichori cantu.*

De affec. 29.

Ouid. 1. Triſt. 3.

Pauſanias in Laconicis.

Serum an ſolùm ad purgandum, an etiam ad alterandum apud veteres? Hippocrates, Galenus, Meſues expenſi.

CAPVT VII.

QVARTO libri tui capite collapſam antiquitatem tenebris, ſituque obrutam, & in ruinis iacentem ſuis, erigere contendis. Serum, inquis, non purgationis tantùm cauſſa apud veteres in vſu poſitum, ſed etiam alterationis. Ex Meſue mox allatis verbis primum mutuaris argumentum. *Quoniam* (ſunt tua verba) *Meſues verba præ manibus habemus, quibus ex lacte ebutyrato ſerum ad lubricandam aluum accipit, ex non ebutyrato autem ad lubricitatem impediendam: antequam vlterius pergamus, conſiderare oportet iam tempore Meſues ſerum conſueuiſſe accipi ad alios vſus præter purgationem.* Hæc tu: cui primo quidem condono latinitatis crimen de ebutyrato, non ebutyrato: vel potius aliò culpam deriuo in impreſſores ſed vereor, ne tantæ illi oſcitantiæ culpam ſuſtinere poſſint, præſertim ſi hæc con-

ferantur cum iis, quæ pag. 30. de ebutyrato à te ſcripta ſunt. neque enim puto te alterum eſſe Zenonem Citiæum, verborum illum opificem. ſed de latinitate hactenus, & alibi. non enim hîc conſilium eſt, *in alieno foro litigandi*, ne videar, *Omiſſa hypera pedem inſequi*. Perpendamus ergo mentem verbáque Meſuæ. Hic ait purganti ſero miſcendum eſſe butyrum; ſiue mauis dicere, butyrum ex eo extrahendum non eſſe, cùm lubricitate opus eſt partibus excretoriis, eis nimium exſiccatis. Cùm verò eæ partes lenitate à butyro non egent, ſero abſque butyro purgandæ. Hæc ſi attendas reperies profectò, ſerum ad vnum tantùm vſum à Meſue vſurpatum, ad purgandum: ad lenitatem verò inducendam, butyrum adiunctum. Ecce alium vſum, quem ſero tribuis, butyro eſſe tribuendum.

Cic. V. Tuſcul.

Scholiographus in Demoſthenem.

Alterum argumentum depromis ex Galeno 2. ad Glauc; *In victus ratione ſuccus ptiſſanæ abundanter exhibendus, & ſerum lactis*. Ergo, ais, ſerum etiam ad alterandum apud veteres. Expendamus, vt Meſuæ, tum verba, tum mentem Galeni. De elephantiaſi huic ſermo eſt, calido ſiccoque morbo. itaque victus ratio ea eſſe debet, quæ non ſolùm reſtituat cutes

longo difficillimoq; morbo labefactatas; verùm etiam calidum ſiccumque morbum, ſeu areſcentes partes viſceraque corrigat. Nam ſicuti cibus, vt cibus, indicatur à viribus; ita, vt calidus, frigiduſue; humidus, aut ſiccus indicatur à morbo. vnde Medicinæ Dictator in Aphor. *Victus humidus febricitantibus omnibus conuenit.* Meritiſſimò igitur Galenus in elephantiaſi ptiſſanam porrigit, & ſerum. Quòd ſi hac tu ratione ſerum alterans medicamentum declaras, ſanè & ipſe eadem ratione alimenta omnia declaro alterantia medicamenta: cùm alimentum vt naturæ amicum, ita inimicum morbo eſſe debeat. quare Hippocrates, *Diete morbo contrariæ.* Lib. 1. aph. 16. 6. epid. ſect. 7.

Neque eſt, cur obiicias, tibi ſat fuiſſe probare, ſerum ad alium quempiā vſum (quicunque tandem is ſit) apud veteres extitiſſe, quā ad purgationē: primò quia vſus, quem tu expiſcatus es, non ad pharmaceuticam, ſed ad diæteticam cathegoriam pertinet: quod certè non verſatur in quæſtione. Secundò, quia tuum erat probare (quod omnino in inſcriptione quarti capitis pollicitus eſſe videbaris) ſerum ipſius alterationis ergo à veteribus vſurpatum vel eadem, vel non

abſimili, qua apud nos, ratione. Proba, ſi potes, (*& eris mihi magnus Apollo*) veteres eo cõſilio exhibuiſſe lactis aquam, vt iecinoris, verbi cauſſa, intemperamentum corrigerent; flauam, atramue bilem, aut pituitam ſalſam in pruritu, ſcabieque demulcirent, ea, qua dixi, ratione.

Iam verò quod appingis ex Hippocratis ſententia, *in alimento medicina, optimum*, facis (liberè loquar) parum aptè; & quaſi *Plumbeum gladium ex eburnea eductus vagina:* non oppugnas nos Hippocrate, ne vmbram quidem noſtram. nam Hippocrati ſermo eſt de medicamento purgante ſurſum, deorſumve; aitque aliquando commodũ eſſe medicamenta alimentis miſcere, aliquando incommodum. Tu verò exiſtimas, Hippocratem loqui de alimento, quod medicamenti vi polleat, vel potius de medicamento, quod ſimul etiam nutrire poſſit. Quæ quàm diſtent ab Hippocratis ſententia, apertiùs intelliges ex ipſius verbis, *Medicina*, inquit, *ſurſum, & deorſum: in alimento medicina, optimùm; in alimento medicina, malùm*. Quænam, inquies, cum alimento medicina bona, quænam mala? Bona ſurſum purgans, mala deorſum. nam *Qui*

graciles

graciles ſunt, ac debiles à cibo vomant. longè enim facilior eſt vomitio pleno ſtomacho, quàm inani. vnde alibi; *Repletus*, inquit, *vomat*. Quinimo & iis, quæ deorſum purgant vtile interdum, atque adeò neceſſarium eſt alimentum. nam validum catharticum infirmo ſtomacho nõ niſi cum alimento tutò committes. at in ſtomacho robuſto fruſtra retunditur, perperamque hebetatur à cibo vis medicamenti. Itaque iurè cum Hippocrate loqui poſſum, *Bonum & malum ad aliquid*.

De ſalubri Diæta tex 5.

Lib. 2. de Mor.

Ieiunus medicamentum ne bibat. 2. de Morbis.

Lib. de alim. tex. 4.

Addis vltimo loco, ſerum etiamſi in victus ratione præſcribatur, tamen alterans omnino medicamentum dicendum eſſe, quòd omnino exigua nutriendi vi præditum ſit. ſed hæc Γῆς βάϱος, nullius momenti. nam melicratum inædiæ affinis eſt, minúſque nutrit, quàm tuum ſerum, quod ſatis butyratum eſt, ſatis caſeatum. Itaque *gladiis*, vt dicitur, *poſthac pugnabis, non volſellis*.

Parœmiograp.

Serum an verè catharticum? Hippocratis mens de hac re aperta.

CAPVT VIII.

Quærit Rodericus in quinto capite, quanam ſeri menſura veteres vterentur: quod cū innoteſcat ex hoc 8. noſtro capite citatis locis; hîc pêculiariter diſcutere viſum non eſt Ergo iurè prætermiſsū quintum Roderici caput.

PRætermiſſum à nobis eſt, omnino intactum, primum opellæ tuæ caput, cùm nullam exerceas ibi ſimultatem cum aduerſario tuo. Hac eadem de cauſſa & quintum prætereo. non enim vnquam tibi videbor natura φιλόψογος. Itaque ad ſextum gradum facio: in cuius ipſo limine ſcrupulum offendo, à te mihi omnino euellendum. Vocas in dubium ſerum an verè catharticum: mox id negas aſſeueranter: aiſque illud vel non per ſe, ſed adiunctorum beneficio flauam bilem, vſtamue pituitam purgare, vel, ſi per ſe, non è longinquo, ſed è ventre ſolum, vt de abſinthio ſcriptum eſt à Galeno. Neutra (dicam liberè) mihi probatur aſſertio tua. Et quidem mihi perſuaderi non poteſt, vt tanta humorum copia; quæ à ſero educitur, prodeat è ſolo ventre. nam ſi quantus quantus is eſt, humor eſſet, & excrementum, tanta ſanè humorum vis à ſero extrudi

non poteſt: apud vnumquemque puto compertum eſſe, ſerum non ſolùm prima, ſecundaue die, ſed reliquis etiam, ad vigeſimam vſque, ſi tam diu ſerum bibi neceſſe fuerit, copioſum promere humorem. Roſaceum ſolutiuum ſcio te ſtatim obiectare. Quæſo, ne me cogas inuehi in vulgus Medicorũ. Roſaceum ſolutiuum ſolam aluum purgare, ij tantùm credunt, qui parentum doctrina, quæcumque ea ſit, acquieſcentes, inertes & ignaui rem ipſam non ſpeculantur. Quotus enim quiſque eſt tam antiquus, & ſimplex; tam hebes, tam pinguis, qui excrementorum vas, à roſaceo extruſorum in ſolo ventre contineri, in exilibus meſerei venis ſibi perſuadeat? Qui profectò è libris, vulgarique doctrina vel tranſuerſum vnguem recedere, crimen maieſtatis arbitrantur. ſed hæc de re alibi. Hîc verò ſententiam noſtrã Hippocratis teſtimonio, etſi genere Coo, põdere tamen, auctoritate, ac fide planè Attico cõfirmabimus. Lib. 2. de Mor. in eryſipelate pulmonis vna tãtùm purgatione non contentus Hippocrates, qua nimirum ventrem primoreſque ductus emundaret; aliam adiungit ex lacte ſeroque, qua ſanè omne corpus, ac præ-

cipuè thoracem à bile vindicaret; *Huic pharmacum deorſum purgans bibendum dato & lac aſinæ inſuper bibendũ, ſi non natura fuerit ſplenicus: ſi verò ſplenicus fuerit, ne purges, neque lacte, neque ſero, ſed eo, quod modicum ingeſtum multùm purgat.* Hæc Hippocrates, circa quæ velim animaduertas, ſplenico, cui prohibitum lac eſt, validum ſubſtitui catharticum. Ex quo ſanè intelligi poteſt, lac aut ſerum non eo conſilio hîc vſurpatum ab Hippocrate, vt vel prioris medicamenti reliquias abſtergens abluenſque educat; vel vt calorem, à calore medicamenti, aliove genitum, reſtinguat; ſed vt verè purget, electiuè purget, ac validè. quod apertiùs ex eo patet, quod ſero, lactique prohibitis ſubſtituat, *Quod modicum ingeſtum multùm purgat.* Ex quo præterea liquet, ab Hippocrate non exhiberi lac aut ſerum, cùm catharticum validumque medicamentum interdicitur, vt quiſpiam ſibi fingere poteſt, cùm id, *quod modicum ingeſtum multùm purgat*, quod ſeri iuuamen eſt validum ſit, ac vehemens medicamentum. De morbo craſſo Hippocrati ſermo eſt lib. de int. aff. *Huic*, inquit, *cùm ita habuerit, ventrem purgato, deorſum quidem per hippophas, ſurſum verò per veratrum. & cum à veratro purgatus fuerit,*

poſtera die lacte aſinæ cocto ſubpurgabis. & eodem lib.ſect.2. *Et poſt clyſteres, qui probè ducant, lacte aſinæ pùrgato heminis octo.* ſect. verò tertia loquens de morbo regio, *Deinde*, inquit, *fomento adhibito, elaterium bibendum dato. tertio verò die rurſus infra purgato, cum lacte aſinæ.* Sed clariùs 4. Acutorum in comitiali morbo&ſemiſyderato, *Medicamentum exhibere ſurſum purgans, niſi alleuetur. ad infernam verò aluum, ſi non ſubeat, infuſum per clyſterem adhibere. Poſtea verò lac aſininum coctum bibendum dato & non minùs quam duodecim heminas bibat. ſi verò adſit virium robur* (quo magnam purgationem, magnamque ſeri vim ferre poſſit) *plus, quàm ſexdecim.* Hoc eodem libro velim attendas paulò accuratiùs febris ardentis curādæ rationem. Primò aquam, & aquam mulſam affatim bibendam conſulit Hippocrates, deinde clyſteribus vtendum, mox vomitu, demum lacte aſinæ cocto purgandum: purgādum, inquam, non aluum, quam clyſteribus expiauerat;non ſtomachū, quam emundauerat vomitione; ſed venoſum genus, quod bile ſcatens, ardentem febrem concitauerat. Audio te clamitantem, illum librum non eſſe Hippocratis germanum. Hoc inane eſt victi perfu-

gium;inane aſylum; nec vnquã tibi erit *Hermonis vice*. ſi Hippocratis librum eſſe negas, Hippocrati æqualis eſſe doctrina victûs fateberis. At Hippocrati æqualis nullus: ergo Hippocratis liber eſt. Captiuncula te vici, prius victum ſolida ratione, perſpicua veritate.

Ariſto-phanes in Babil. ex Suida.

At video te omnino tergiuerſantem, renuentem ſcilicet hoſce locos, tanquam de lacte non de ſero loquentes. Ceterùm ſi rem candidè & ſine fuco ſpectabis, quod de altero aſſeritur, iurè de altero aſſeri poſſe fateberis. Lac ſero, ſerum lacti ſæpe ab Hippocrate ſubſtituitur, lib. de Mor. de Int. Aff. de Mul. Mor. alibi: *Lac aſininum bibendum dato, aut ſerum caprinum decoctum*. & alio loco, *ſi verò non adfuerit ſerum, lac aſininum coquito, & exhibeto*. alibi, *Lac aſininum, aut ſerum bibendum præbeto*. Quid quòd, V. C.? te vt conueniam, te potius, quàm Hippocrate vtendum teſte. in ipſo capitis limine hæc habes, *Quod de lacte diximus, ſero poteſt adaptari*.

Quid tandem his? inquies, quorſum hæc omnia? An vt probent, ſerum eſſe catharticum? Profectò non loquor παράδοξα; audi: nam

Æſchil. in Phryg.

Sæpe etiã eſt holitor valde opportuna loquutus.

ſi ad catharticum conſtituendum aliquod medicamentum ſatis eſt, vt ſua, non aliena vi purget; vt non è ſolo ventre, ſed ab omni corpore, pluribuſve eius partibus bilem, v. g. prolectet; ſerum catharticum eſſe medicamentum, tibi omnino probaui ratione, auctoritate, experimento. probaui, inquam, niſi Thimone Niceo, qui nec rationi, nec ſenſui credendum putabat, difficilior fueris, & peruicacior. Neque deleas ſerum à catharticorum albo, quòd purget plurimos humores, bilem, pituitam ſalſam, humoreſque exuſtos; quia *Medicamentum, vbi corpus intrauerit, primò quidem ducit id, quod ſibi ſecundùm naturam familiare eſt, deinde alia trahit & purgat.* Neſcio quid nutas de epithymo, ſerum purgare innuens certos humores huius beneficio. Candidè, velim, mecum ipſe animaduertas, epithymum à Galeno non eſſe ſero adiunctum, quòd hoc nihil purget, ſed vt purget magis. Quemadmodum enim 7. meth. Mulſæ à Galeno additum eſt origanum, calamentum, hyſſopum, non quòd ea non diſcutiat, aut detergat; ſed vt citiùs id præſtet, faciliùs, valentiùs: ita ſero adiunctum eſt epithymum, roboris ergo, & promptioris facultatis.

Hippoc. lib. de Nat. Ho. tex. 10.

Quinimo tuo te poſſem gladio iugulare, tuo vtens argumento. Ais pag. 31. ſerum alterare, ſubdis, *Hæc opinio non habet contrarium ſibi Galenum: quippe Galenus veteres dixit ad ſoluendam aluum ſero vſos fuiſſe, nec tamen alios vſus negauit.* Haud abſimili ratione & ipſe argumentor, Meſues, Galenuſue vſus eſt ſero cum epithymo ad purgandum; non tamen negarunt, ſerum abſque epithymo purgare: neque igitur à te negandum eſt.

Zenodotus. Tu verò, qui putas, ſerum lubricando purgare aluos, dicas velim, (*nec mihi ſis mutus Hipparchion*) liberè dicas, cur non purgat pituitam, ſolam bilem flauam, aut atram purgat? ſi lubricat, omnes quicunque obuiam fiunt, humores ducet: imò pituitam multò magis, cùm hæc vberior ſit, promptior, magiſque obuia. Meſues verò ait, *Purgat clementer, & ſine morſu bilem flauam, & exuſtos humores*: idem Galenus cęterique.

Inquies, ex eo quòd bilem, vſtoſque humores purgare dicatur à Meſue, non propterea excludi pituitam, hac ratione vnumquodque medicamentum purgās vnumquemque purgare humorem, aſſeri poſſet. Polypodium, epithymum pituitam trahent; agaricus melancholiam;

rhabarbarum aqueos humores; exuſtos mechoacan; cætera cæteros ſibi omnino cōtrarios, inimicos, & infeſtos. Non, inquam, hæc trahent ea ratione, qua dicitur ab Hippocrate loco ſuperiùs à me laudato; ſed primaria ratione, vt rhabarbarum purgare dicitur flauam bilem, agaricus pituitam. Sed hæc nugæ ſunt, meræ nugæ. nam purgantium medicamentorum facultates omnino peruerteremus nihil certi de iis aſſerentes. Iam verò περὶ * κοιλιολυσίαν γίνεσθαι, diutius non licet, ne ſtercorei medici eſſe videamur.

* In vétere exonerando occupatum eſſe. Cic. Att. l. 10 15.

An ſero inſit nitrum? Quidnam ſit, quod in fundo vaſis ſubſidet? De ſeri deterſione aliorumque.

CAPVT IX.

DE eo quod ſubſidet in vaſe diſtillatorio, modò mihi agendum tecum eſt. Nitrum eſſe omnino exiſtimo, quod prius inerat in ſero. Hoc autem non reddebatur ab eo ante diſtillationem ita ſalſum, quia prius nitrum non erat for-

taſſe ita ſalſum. nonnihil enim ſalſedinis adipiſci potuit ex diſtillatione, calidum magis ſiccumque redditum. Quod enim in fundo vaſis ſubſidit toto diſtillationis tempore, cùm diſtillanti igni proximum ſit, magis exſiccetur, neceſſe eſt, non ſolùm peréni validaque ignis actione (eſto, verum ſit, quod de diſtillatione dictitas) ſed etiam ſurſum euolante eo, à quo perfundebatur, humore. Accedit, quòd vnumquodque diſtillatione ſeparatũ à cæteris ſui partibus acrius eſt, efficacius, validius. Etenim quam acredinem, acutiemue, exempli cauſſa, in tartari ſale, vini, aut aceti ſenties? quam vim experieris in gutta olei vitrioli? quam acrimoniam, aut aciditatem? Sanè & tibi pannos illico perforabit, aduretque, & ori admotum vix ferendam acrimoniam, aut aciditatem (nam acidum, non acre, ſunt qui volunt eſſe oleum vitrioli) tibi promet? Quod ſi tu ſumeres totum illud vitriolum, vnde ea gutta, quæ panno aut ori admota eſt, fuit extracta; pannoque imponeres, aut linguæ admoueres; certè neque illum perforabis, neque hanc vlla effatu digna afficies acrimonia. Itaque non eſt, quòd mireris, ſi nitrum in imo vaſis hæ-

rens, magis ſalſum nitroſumue redderet diſtillatum ſerum, huic iterum ſi miſceretur.

Sed videamus paulò accuratiùs, an reuerà nitrum ſit, an potius exuſtum caſeum, vt contendis: videamus mea, tua videamus argumenta. Nitrum eſſe puto, primò quia hoc in ſero ineſſe, auctor eſt Meſues, comprobat experimentum, cùm eos, qui nitro tribuũtur, effectus ſerum præſtet, vel teipſo confitente. Secundò, quia ipſi ſenſui innoteſcit eſſe nitrum. nam mordet ferè cum ſalſedine. Hæc mea ſunt argumenta, ſi non planè aperta firmaque tuis certè apertiora & firmiora. Quinimo tu hac in re nudus es, & inermis, *Ipſo nudior paxillo.* ſolùm aſſeris eſſe caſeum, ignis vi excoctum, nulla id probans ratione: quaſi aſſertio tua firmum ſit argumentum, firma ratio; *Xenocratis teſtimonium, Metelli tabulæ.* Iam verò cùm propriam fulcire nequeas opinionem, alienam labefactare contendis: ſed incaſſùm, & iniquo fato, Carneadi omnino contrario. nam vt hic *Nullam vnquam rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnauit, quam non euerterit;* ita tu (pace tua dixerim) quod defendis, nunquam probas; non expugnas vn-

Cic. Att. lib. 1. ep. 13.
Val. l. 2. c. 5.
Cic. 2. de Orat.

Digitized by Google

quam, quod oppugnas. Re doctus id intelliges, ſi tantiſper mihi operam dederis. Nitrum, ais, non eſt, ſed nitroſæ partes, à vero nitro longè diſſidentes. Colligis id ex Galeno dicente, nitroſas partes eſſe ſubtiles (cuiuſmodi, inquis, ſunt ſeri partes) nitrum verò craſſum eſſe ais, ac terreum. ſed, mihi crede, *Non opus eſt Carneade ad hæc refellenda.* Dic ſodes, dic, ſi me amas, putas ne ex eo, quòd nitrum ſolidum, nulloque reſperſum humore, craſſum ſit, & compactum, eodem modo craſſum eſſe humore perfuſum, & omnino liquatum? Profectò nitrum, aqua reſperſum liquatumque in aquam & humorem abit, euaditque tenue, penetrans, permeanſque, abſtergens, & aperiens. Sed demus, quod contendis, craſſiuſculum eſſe ex ſeſe, num etiam tale erit noſtro corpori? Non ædepol id affirmabis, ſi memoria tenes, quæ ſuperiùs ex Galeni ſententia ab vtroque noſtrum dicta ſunt. Medicamentorum qualitates definiendæ ſunt non ex ſeſe, *ſed reſpectu eius ad quod dicitur*, hoc eſt, reſpectu noſtri. Quare etiamſi demus, nitrum terreum eſſe, & craſſum, cùm tamen intra corpus aſſumptum attenuet, aperiat, detergat, non craſſum,

Cic. 1 de Diuin.

ſed ſubtile vt dicatur, habeaturque, dignum eſt.

Sed circa tua verba pauliſper mihi verſandum, *Nitroſæ partes appellantur* (agnoſce tua verba) *non quia nitri ſubſtantiam in ſe habeant, ſed quia detergente duntaxat qualitate nitri qualitatem imitentur.* Ex eo igitur nitroſum exiſtimas, quòd nitri qualitatem imitetur detergēte ſola qualitate, quòd ſolùm detergat. Satis mirari non poſſum! Quia ſerum detergit nitroſum appellas! *Heu priſca fides!* Nonne vides, hac ratione aquam hordei, mulſamque, imò omnia quæ abſtergunt, nitroſa dicenda eſſe? Aperta res eſt. nam ideò, ais, aliquid putandum eſt nitroſum, quòd abſtergens ſit: ergo quodcunque abſtergens nitroſum appellabis neceſſariò. Sed hîc tu *Trioboli doctrinam* appingens, *Chironium accepiſti vulnus.* Medere, ſi noſti artem: ſed mihi crede, *Ne Mercurius quidem, vt à Galeno dicitur, cum Muſis mederetur.* Sed eccum pharmacum; præſto eſt ex tuo commentario: *Id omne, quod abſtergendo euacuat, nitroſum putandum. Cantilena è ſcholis.* nam quod tantùm abſtergit ab eo, quod prætereà euacuat, diſtat ſolùm *ſecundùm magis & minus*, ſi neutrum verè nitroſum. quod enim me-

Zenodotus.

Cic. 1. de Orat.

diocriter abſtergit, inefficax eſt ad euacuãdum: quod verò paulò validiùs, euacuat præterea. At *magis & minùs non variant ſpeciem*. ergo ſi omne, quod abſtergendo euacuat, nitroſum dicendum; etiam quod non euacuat, paulò infirmiùs exiſtẽs, nitroſum vt dicatur, dignũ eſt. Præterea mel, verbi gratia, abſtergendo aluum commouet: id ſanè non diſſimulabis. at hoc neque nitroſum eſt, neque nitroſum quiſquam appellauit vnquam. Quod ſi nouam nitroſi ſignificationem commentus, eam melli aptare volueris, vide, ne quaſi *pygmæorum acrotinia coloſſo potius adaptare videaris.*

Philoſtratus in Niceta.

Iterum de ſeri partibus, dèque diſtillationis vi, & natura. Quod primò aſcendit, calidius ne ſit, an frigidius?

CAPVT X.

DE tenuioribus ſeri partibus, quæ primùm in diſtillatione aſcendunt, iterum poſtulas Obicium apud Galenum 10. meth. cap. 9. ſed is priſtina

actione noſtra ita euaſit ab tua accuſatione, vt te potius Galenus condemnauerit. Itaque de ſeri partibus diſtillatione ſeparatis non Galeno iudice, quippe tibi ſeuero & infeſto, ſed ratione ipſa cognoſcente litigemus. Calidiores ais aſcendere, vtpote quæ ſubtiliores ſint, ac tenuiores; ſubſidere frigidiores, ceu craſſiores. Velim, vt ſepoſita tantiſper ſeri diſtillatione, roſam diſtilles, aut cichorium; imò abſinthium, aut calamentum. Quod ex his abſtrahitur, tenuius ne eſt, calidius, an frigidius eo, à quo abſtrahitur, roſa, cichorio? ſanè frigidius eſt. non ſolùm enim tu ipſe roſacea & cichoracea vteris ad refrigerandũ, quippe valdè frigidis, etiam ſi in cichorio & roſa non exiguum caloris gradum ineſſe fatearis, vel ab odore victus, vel amarore; ſed ferè etiam calamenti, abſinthiique, ſi fortè Cardano credideris, & Montano. Ergo quod aſcendit frigidior eſt pars rei diſtillatæ.

Neque diſſenties ab hac philoſophia, ſi paulò accuratiùs vim diſtillationis attendas. ſtilletur, exempli cauſſa, cichorium. ex hoc, quæ primò aſcendit, pars ea eſt, quæ cùm tenuior, tum miſto infirmiùs hærens, infirmiùs vnita. neceſſe

eſt enim, vt quod primò ſeiunctum à cæteris ſurſum repit, & agilius ſit aptiuſque ad aſcenſionem, & promptius ad ſeparationem. Tenuius ergo erit, & minùs vnitum: hoc eſt aqueum magis, & magis fluxile. Itaque è cichorio, abſinthioue, aut calamento aquoſiores primò abſtrahuntur partes: ac proinde frigidiores.

Neque verò radicibus duntaxat, herbis, aliiſque humidioribus hæc conſentanea eſſe putes; ſed ſiccioribus etiam, calidioribus, vno ferme excepto vino. Diſtilla, verbi cauſa, aromata; ex aromatibus calidiſſima quæque cinnamomum, cariophyllum. Qui primò ex his in altum abſtrahitur, humor ſicuti tenuior eſt, ſubtilior, minúſque pinguis; ita frigidior, ſeu mauis dicere, minùs calidus. Aqueus ferè eſt, ſi ſubſtantiam ſpectes: ſi verò qualitates, longè minùs, quàm qui remanet, deindeque abſtrahitur efficax. Etenim diuturniori diſtillatione ex terreſtrioribus illis, craſſioribuſque partibus craſſiuſculus quidam humor elicitur, qui vt priori pinguior; & verè craſſior, ita calidior eſt, & efficacior. Huius ſcrupulus plurimis eius drachmis virtute, caloreque præſtat. Hæc vt tibi perſuadeam,

perſuadeam, non eſt quòd admodum laborem; hermeticæ artis te peritiſſimum eſſe iampridem noui. Hæc eò ſpectant, vt intelligas, tum Cardanum, Montanumque non eſſe futiles, aut ineptos, calamenti, abſinthij, menthæ diſtillatas aquas frigidas eſſe opinantes: tum ſi menthæ, abſinthij, immo cinnamomi, & cariophyllorum, nedum roſarum, aut cichorij tenuiores partes frigidæ ſunt; verendum non eſſe, quin & ſeri partes tenuiores frigidæ exiſtant.

De mentha, abſinthio, calamento ex aliena ſentẽtia dixerim. De phlegmate, ſale volatili, & fixo, æthereoque ſpiritu, ſcio quid comminiſcãtur Chymici: quos ſicuti hac in re non aſpernor, ita non veneror. Quod primùm diſtillatione abſtrahitur in altum, non eſſe miſti partem, vi non pollere eadem atque miſtum, commentum eſt, & ſomnium, *Hiberæ neniæ.* Quis enim aut Cyhmicorum, aut Chymiſtarũ eſt, qui inficietur, fœniculi, verbi gratia, diſtillatam aquam oculis non prodeſſe, lactucæ capiti, cordi florum aranciorum, ſtomacho menthæ, vtero capillorum veneris? D. Hieronym.

Neque dicas, in haſce aquas, per ſe inutiles, volatilis illius, fixiuè ſalis clam

nobiſque inſcijs portiunculam irrepſiſſe aliquam, cui vis omnis, omnis aquæ virtus accepta referenda ſit; quia aquam illam merum eſſe phlegma, hoc eſt, effœtum, inutilémque humorem, incoctum miniméque ſubactum, neque proinde miſti naturam redolere mera tergiuerſantis Chymici eſſet aſſertio, merũ commentum, inane ſomnium. Illud etiam monuerim de tenuioribus craſſioribuſque partibus me non ita ſentire, vt quæ craſſa ſunt, illico calida eſſe exiſtimem: & è contrario quæ tenuia, eadem & frigida. nam & craſſior ſubſtantia, frigidior eſſe poteſt, & tenuior paulò validior. Exempla vnicuique obuia: neque tibi, qui hac in re *Roſcius es*, hîc apponam.

De calidioribus, craſſioribus, frigidiorib. tenuioribuſque partibus; de oleis, aquis, phlegmatibus, vt vocant, rei diſtillatę multa dicẽda non hîc, in priuatis hiſce exercitationibus, ſed in publicis, & fortaſſe edendis diſputationibus contra Luſitanum.

Cic. 1. de Orat.

Serum diſtillatum an purget? Minùs ne, an magis alteret? Libauij locus perperam à Roderico acceptus.

Caput XI.

ITervm atque acriùs inſtas, vrges, inſectaris Obicium, exiſtimantem, ſtillatum ſerum & infirmiùs purgare, & al-

terare valentiùs. Inſectaris autem his verbis, *ſed porrige ſeri tui deſtillati heminas illas quinque aut plures, quas non deſtillati porrigebant veteres, diſperеam, niſi aluum ſoluat.* Iuras ſtillatum ſerum, vberrimè ſumptum, omnino purgaturum. Et iurato tibi, & non iurato credo: quippe probè nouerim, vbertatis id eſſe proprium & copiæ. Thermales aquæ, vel quæ per vrinæ ductus innata quadam vi feruntur, vberrimè ſumptæ aluum commouent. De niuerina, quæ armeno bolo prædita, atque adeò diuretica facultate aluum coartare deberet, re doctus id affirmo, in méque recipio: non enim ſemper hîc λογίατρος εἰμί. Sed hæc leuia ſunt, nec diutiùs me ancipitem habuerunt. Libauij verò locus, (*de fumo nunc ad flammam*) quẽ in tuũ inſeruiſti, vel potiùs alligaſti commentarium, incertum adeò dubiúmque reddidit, vt quo illum conſilio appinxeris libello tuo, adhuc aſſequi, etiam ſi intenderim mentis aciem, non potuerim. Tuum in hoc capite conſilium eſt de ſeri partibus diſſerere, quæ aſcendunt, quæque ſubſident in diſtillatione. Ais, (quod obſtrepit in quadriuiis) tenuiores aſcendere, ſubſidere craſſiores. ſubdis de tenuioribus aduer- Ammianus lib. 14.

ſus Obicium, has calidas eſſe, ac proinde inſcitè ab eo exhiberi in febribus frigefaciendi cauſa. Inſtas in eumdẽ, tenuiores haſce partes non eſſe ad purgandum ineptas, vt vult Obicius, ſed multò aptiores, cùm *tenuitate abluant, detergant, repurgent*, vt ais. Demum accerſis Libauium, qua de cauſſa dij norunt. Obicium alloquens hæc habes, *Sed ſi propiùs ad diſtillationem cupis accedere, conſule ſpagiricæ artis peritos, inter quos optimum occupat locum Andreas Libauius, qui de ſero ſic loquitur: Sic ergo in tres partes diremptum lac eſt; nempe aëream, cum qua eſt & ignea, quæ ſeparari poteſt diſtillatione: poſtea aqueam, & tandem terream, quam caſeum vocant, ſicuti aquã ſerum.* (hæc Libauius, ſubdit immediatè Rodericus) *Iuxta huius auctoris ſententiam id, quod priùs in diſtillatione egreditur, propriè ſerum dici nequit, ſed dicitur ſubſtantia aërea atque ignea: ſecundo loco ſerum conſpicitur, vltimo tandem relinquitur pars terrea, ſeu caſeoſa.*

Cogendus eſt Muſarum cœtus, conſulendus Apollo, vt, quorſum tu cum Libauio, quorſum tua, eiuſque verba, intelligamus. Verba Libauij, ſi per ſe attendantur, aperta ſunt, omnino aperta; ſi conferantur cum tuis, omnino obſcu-

ra. Ea tantùm ſibi volunt, tres eſſe lactis partes, per coagulum ſeparãdas, aëream, ſeu butyroſam; aqueam, ſeu ſeroſam; terream, ſeu caſeoſam: igneam verò, quæ ineſt aëreæ, non coagulo, ſed ſola diſtillatione ſeiũgi poſſe exiſtimat. Quæ ſicuti vera ſunt, ita ad rem tibi propoſitam omnino inepta. neque enim quæ antea, neque quæ poſtea à te ſcripta ſunt, Libauij loco aut probare, aut fulcire potes. Itaque hæc *Incudi redde*, cùm *Nihil ad fides*. Horatius in Arte. Lucianus de ſaltat.

Sed eſt, V. C. cur à te veniam petam oſcitantiæ meæ. Aperta ſunt tua verba, aperta mens. Ais, Libauium aſſerere, quod primò ex diſtillato lacte elicitur, aëream eſſe ſubſtantiam, igneamque; quod verò deinde, ſerum eſſe; quod demum, eſſe caſeum. ſed heus tu, quid loqueris? Libauius lac diſtillat? ſeiungit lactis partes diſtillatione? Imò verò alio quouis modo ſeiungit, præterquàm diſtillatione. Diſcrepant omnino opiniones noſtræ. Mi Roderice; non verbis modò, ſed vniuerſa re, & tota ſententia à te diſſentio: & vt diſſentionis meæ rationem habeas, Libauij ſententiam hic perſtringere viſum eſt: idque eò libentiùs, quòd non vulgarem doctrinam,

contritamque philoſophiam contineat. *De reſolutione per coagulum* (ſic enim inſcriptum caput eſt) agere intendit Libauius: treſque præcipuos proponit modos, quibus natura ab inutilibus vtilia, pura ab impuris ſegregare ;conſueuit. Primum violentum per ignem; alterum putrefactorium per calorem extraneũ; tertium fermentatoriũ per principium intrinſecum. tres hoſce modos, à natura, *nullo edocta magiſtro* repertos, ait Libauius placuiſſe arti; ac propterea hanc excogitaſſe inſtrumenta, veramque rationem naturæ actionis æmulandæ. De putrefactionis, violentiæque per ignem imitatione cùm ſuperiùs egiſſet, proſequitur modò fermentationis naturalis imitandæ rationem. & affert exempla, de naturæ quidem fermentatione ſeu efferueſcentia in muſto; de artis verò in lacte. Nam ſicuti in illo, intrinſeco quodam naturæ motu efferueſcunt ita partes, & fermentantur, vt puræ ab impu ris, tenueſque ſecedant à craſſis; i hoc æmulantis artis adminicul lo, alioue) butyrum à ſero ſeo, caſeus ab vtroque fac Iam verò ex tribus hiſc ctis partibus, quatuo

Hippocrat.

dentibus (nam in butyro, aëri conſono & affini, igneam ineſſe lactis partem, cenſet Libauius) terream, & aqueam non ſolùm coagulo ait ſecerni poſſe; ſed etiam elixatione, ſimplicique quiete; pondere nimirum deſcendente caſeoſa terreaque parte, aquea & ſeroſa inundante. Aëream verò ſola quiete vix, ait, ab reliquis ſecedere, aut potius vix cogi in butyrum, & concreſcere: proindeque opus eſſe agitatione & motu, per quem diſſipato ſpiritu, cuius opera liquata ea erat, ac diffuſa, cogatur & concreſcat. Iam verò ignea lactis pars nullo ex his modis aut cogi, aut ſeparari poteſt à reliquis: neque coagulo, coctione, aut quiete, vt aquea, terreaque pars; neque agitatione motuque, vt aërea; ſed ſola diſtillatione, chymico nimirum opere & au-

...ic er... tres partes diremptum lac eſt,
...m qua eſt & ignea (quæ ſepa-
...ione) poſtea aqueam, ac tan-
...caſeum vocat, ſicut aquam
... latè vages, quàm
...uij, iam notiſſi-
...um diſtillare lac,
...ſt, vt id diſtillet,
...liſtillandi artem
...lo coagulo, co-

Digitized by Google

ctione, aut quiete illud ſeparet, aut ſeiungat. Tu ais, quod primùm diſtillatione elicitur, propriè ex Libauij ſententia ſerum nõ eſſe, ſed partem aëream. At Libauius, præterquam quod, vt dixi, lac non diſtillat, neque propriè, neque impropriè ſerum eſſe ait; ſed eſſe florem lactis, cremoremque, ſiue, quod idem eſt, butyrum. Quod ſanè tu videris nullo intellexiſſe modo: nam ſi ſciuiſſes aëreã lactis partem dici à Libauio florem, cremorem, & butyrum; profectò non ſcripſiſſes, *Iuxta huius auctoris ſententiam id quod prius in diſtillatione egreditur, propriè ſerum dici nequit, ſed dicitur ſubſtantia aërea.* Contra verò Libauius ait igneam, quæ butyro ineſt, lactis partem nonniſi diſtillatione ſecerni poſſe. Tu autem eius mentem non aſſequutus, eius mentem corrumpis.

Lucian. Iam verò adiungis Quercetani locum, ſed qua de cauſſa, vix, puto, tute noſti. Sanè *Mandrabuli more tibi res ſuccedit.* Non enim connexus eſt locus cum Libauij loco, non cum inſcriptione capitis, non cum iis, quæ præcedunt, non cum iis, quæ conſequuntur, cùm conſequantur nulla. Ergo non loco locum, ſed

Sophocles. *Morbo quidem morbum addidiſti tu alterum.*

Quod facit ad vim diſtillati ſeri, magis hoc refrigerare, illud argumento eſt, quod ſubtilius ſit, ac tenuius, ac proptereà faciliùs peruadens per omnes corporis partes: cúmque nitrum exuerit, partes calidas vtique depoſuit, Empyreuma, inquies, ei acceſſit. Mendosè. nam κατὰ τεχνὴν diſtillato ſero partes nullæ accedunt calidæ. ſed hac de re cap. 14. 15. 16.

An ſerum hecticæ opportunum? Galeni locus expenſus, aliter atque à Roderico explanatus.

CAPVT XII.

SERVM an febribus ſit vtile, diſceptas nono libri tui capite. & de hectica quidem id omnino affirmas, annuente Galeno 10. method. 11. vbi apertis verbis ſcriptum eſt, aſininum lac hecticis eſſe opportunum. Opportunum autem, inquis, quia ſeroſius: ergo ſerum, ais, hecticæ opportunum. Acutum ſanè, & ſubtile argumentum, quod ego verum vellem. Cæterùm veritatem inda-

Digitized by Google

gans ſubtilitatem ſubtilitate compenſo. Galenus aſininum lac, quod ſeroſius eſt, magis commendat hecticis. Eſto. At non propter ſerum: adeò vt humor ille hecticis ſit opportunior, ſed propter frigiditatem eius lactis maiorem, maiorémque humiditatem. Itaque formalis ratio, vt περιπαθητικῶς loquar, cur lac aſininum in hectica cæteris præferatur, humiditas eſt, & frigiditas. Quòd ſi haſce qualitates lac haberet abſque copioſo ſero, ſero hecticis non eſſet opus. Quare non licet ſic ratiocinari, ſeroſius lac hecticis vtilius; ergo ſerum vtile, vel propter ſerum. nam ſi æquè frigidum humidumque vaccinum eſſet, licet minus ſeroſum, magis tamen probaretur, cùm magis nutriat firmiùs adhærens, æquè refrigerans humectanſque. Illud tamen animaduertas lac aſininum non eſſe frigidius quia ſeroſius, itavt à ſero frigus accipiat. ſed potius è contra, ſeroſius eſſe quia frigidius: adeò vt ſeroſitas ex frigore, non frigus ex ſeroſitate naſcatur. Ex frigidiori animalis temperamento frigidius lac gignatur oportet, ac proinde ſeroſi humoris vbertas & copia. Hæc hactenus

—— *Nunc retrorſum*

Vela dare, atque iterare curſus
Cogar relictos. Horat.

Ad hecticam reuertor: quam accuratiùs hîc perpendere viſum eſt, vt enunciati mei clariùs innoteſcat veritas. Hectica calidum eſt, ſiccumque intemperamentum: atque ita calidum & ſiccum, vt partes ſolidæ exaruerint, feréque abſumptæ contabeſcant. Quare in hectica duplex ſcopus maximè ſpectandus eſt, alter intemperamento, extenuationi alter propoſitus. Itaque medicamentum ad hæc opportunum huiuſmodi eſſe debet, vt humectans & refrigerans facilè, multùm, citóque nutriat. Nihil ergo lacte accommodatius: quippe frigidum humidumque eſt, facilè adhæreſcens, facilè nutriens vel ipſius affinitate naturæ. Illud, inquam, accommodatius, quod frigidum magis & humidum promptiùs valdéque nutriat. Aſininum magis frigidum, minùs nutrit; vaccinum magis nutriens, minùs frigidum eſt. Illud intemperamento longè aptius, hoc opportunius tabeſcentiæ. Quod ſi hoc illius haberet cùm frigiditatē, tum humiditatem, etiamſi minori præditum eſſet ſeri copia, omnium tamen opportuniſſimum (his ſaltem ſpectatis) fermè cenſendum eſſet.

Vides ergo ex hac ratiocinatione, ſerum, aut ſeroſum lac, vt ſeroſum eſt, hecticis non valdè vtile, non valdè opportunum; ſiue mauis dicere, non propter ſeroſitatem extolli aſininum lac, & præferri à Galeno.

Cæterùm video, qui obiiciant illud Ariſtophanis in Ran.

Apertiùs mihi loquere, atque indoctiùs.

mea nimirum verba (eorum caligine & aſperitate) non aſſequuti: hecticamque proinde ſpectandam eſſe dicent, vt calidum eſt, ſiccumque intemperamentum; non vt tabe macieque abſumpſit corpus & confecit: hacque ratione ſeroſius lac opportunius, hoc eſt ſerum ipſum: ſed verè hi, *Camarinam mouent, excitantque, vt dicitur, octipedem.* Seroſius lac opportunius eſt, quia frigidius humidiuſque. Ratio igitur formalis, cur præferatur, humiditas eſt & frigiditas. Itaque licet ita quidem argumentari, ſeroſius lac hecticis magis commodum (vtpote magis frigidum, & humidum) ergo frigus & humiditas magis commoda. Non verò ita, ſeroſius lac opportunius, ergo ſerum ipſum opportunius. Iam verò ſi ne modò quidem me audire velis, à meorum aſperitate, obſcuritatéque verborum, in

Lucianus de Apophrade Seruius 3. Æn. Suidas.

oſcitantiam tuam in tuam peruicaciam culpam deriuabo: & iurè deriuabo, cùm hæc mea non ſint aut *Teucrum Pacuuij*, aut προβλημα ἀρχιμήδειον. Cic. 1. de Or. idem Att. l. 13. ep. 28.

Seri nitroſitas. Quomodò lac, præſertim aſininum, nitroſius, quomodò ſeroſius cenſendum ſit?

CAPVT XIII.

QVò me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes. Verè in ſyrtim delatus ſum, in ſcyllam libelli tui. Diu, fateor, multúmque laboraui, vt conſilium tuum aſſequerer. Aſſequutus tandem fui, atque ita aſſequutus, vt omnino mihi ſit inſequendum & confectandum. Probare niteris, ſerum non eſſe nitroſum huiuſmodi ratiocinatione: Si ſerum nitroſum, lac etiam nitroſum eſſet: immo (quod inde ſequitur) quò ſeroſius lac, eò nitroſius eſſet. Ex quibus abſurda quædam in aduerſarium deriuas, hecticis nempe, quibus ex Galeni ſententia ſeroſius lac, vt aſininum, opportunius eſt, nitroſius eſſe opportunius: imò ipſum ipſum nitrum.

ſus Obicium, has calidas eſſe, ac proinde inſcitè ab eo exhiberi in febribus frigefaciendi cauſa. Inſtas in eumdẽ, tenuiores haſce partes non eſſe ad purgandum ineptas, vt vult Obicius, ſed multò aptiores, cùm *tenuitate abluant, detergant, repurgent*, vt ais. Demum acceſſis Libauium, quia de cauſſa dij norunt. Obicium alloquens hæc habes, *Sed ſi propiùs ad diſtillationem cupis accedere, conſule ſpagiricæ artis peritos, inter quos optimum occupat locum Andreas Libauius, qui de ſero ſic loquitur: Sic ergo in tres partes diremptum lac eſt; nempe aëream, cum qua eſt & ignea, quæ ſeparari poteſt diſtillatione: poſtea aqueam, & tandem terream, quam caſeum vocant, ſicuti aquã ſerum.* (hæc Libauius, ſubdit immediatè Rodericus) *Iuxta huius auctoris ſententiam id, quod priùs in diſtillatione egreditur, propriè ſerum dici nequit, ſed dicitur ſubſtantia aërea atque ignea: ſecundo loco ſerum conſpicitur, vltimo tandem relinquitur pars terrea, ſeu caſeoſa.*

Cogendus eſt Muſarum cœtus, conſulendus Apollo, vt, quorſum tu cum Libauio, quorſum tua, eiuſque verba, intelligamus. Verba Libauij, ſi per ſe attendantur, aperta ſunt, omnino aperta; ſi conferantur cum tuis, omnino obſcu-

ra. Ea tantùm ſibi volunt, tres eſſe lactis partes, per coagulum ſeparādas, aëream, ſeu butyroſam; aqueam, ſeu ſeroſam; terream, ſeu caſeoſam: igneam verò, quæ ineſt aëreæ, non coagulo, ſed ſola diſtillatione ſeiūgi poſſe exiſtimat. Quæ ſicuti vera ſunt, ita ad rem tibi propoſitam omnino inepta. neque enim quæ antea, neque quæ poſtea à te ſcripta ſunt, Libauij loco aut probare, aut fulcire potes. Itaque hæc *Incudi redde*, cùm *Nihil ad fides*. Horatius in Arte. Lucianus de ſaltat.

Sed eſt, V. C. cur à te veniam petam oſcitantiæ meæ. Aperta ſunt tua verba, aperta mens. Ais, Libauium aſſerere, quod primò ex diſtillato lacte elicitur, aëream eſſe ſubſtantiam, igneamque; quod verò deinde, ſerum eſſe; quod demum, eſſe caſeum. ſed heus tu, quid loqueris? Libauius lac diſtillat? ſeiungit lactis partes diſtillatione? Imò verò alio quouis modo ſeiungit, præterquàm diſtillatione. Diſcrepant omnino opiniones noſtræ. Mi Roderice; non verbis modò, ſed vniuerſa re, & tota ſententia à te diſſentio: & vt diſſentionis meæ rationem habeas, Libauij ſententiam hic perſtringere viſum eſt: idque eò libentiùs, quòd non vulgarem doctrinam,

contritamque philoſophiam contineat. *De reſolutione per coagulum* (ſic enim inſcriptum caput eſt) agere intendit Libauius: treſque præcipuos proponit modos, quibus natura ab inutilibus vtilia, pura ab impuris ſegregare conſueuit. Primum violentum per ignem; alterum putrefactorium per calorem extraneũ; tertium fermentatoriũ per principium intrinſecum. tres hoſce modos, à natura, *nullo edocta magiſtro* repertos, ait Libauius placuiſſe arti; ac propterea hanc excogitaſſe inſtrumenta, veramque rationem naturæ actionis æmulandæ. De putrefactionis, violentiæque per ignem imitatione cùm ſuperiùs egiſſet, proſequitur modò fermentationis naturalis imitandæ rationem. & affert exempla, de naturæ quidem fermentatione ſeu efferueſcentia in muſto; de artis verò in lacte. Nam ſicuti in illo, intrinſeco quodam naturæ motu efferueſcunt ita partes, & fermentantur, vt puræ ab impuris, tenueſque ſecedant à craſſis; ita in hoc æmulantis artis adminiculo (coagulo, aliòue) butyrum à ſero, ſerum à caſeo, caſeus ab vtroque facillimè ſecedit. Iam verò ex tribus hiſce, quatuorue lactis partibus, quatuor elementis reſpon-

Hippocrat.

dentibus (nam in butyro, aëri conſono & affini, igneam ineſſe lactis partem, cenſet Libauius) terream, & aqueam non ſolùm coagulo ait ſecerni poſſe; ſed etiam elixatione, ſimplicique quiete; pondere nimirum deſcendente caſeoſa terreaque parte, aquea & ſeroſa inundante. Aëream verò ſola quiete vix, ait, ab reliquis ſecedere, aut potius vix cogi in butyrum, & concreſcere: proindeque opus eſſe agitatione & motu, per quem diſſipato ſpiritu, cuius opera liquata ea erat, ac diffuſa, cogatur & concreſcat. Iam verò ignea lactis pars nullo ex his modis aut cogi, aut ſeparari poteſt à reliquis: neque coagulo, coctione, aut quiete, vt aquea, terreaque pars; neque agitatione motuque, vt aërea; ſed ſola diſtillatione, chymico nimirum opere & auxilio. *Sic ergo in tres partes diremptum lac eſt, nempe aëream, cum qua eſt & ignea (qua ſeparari poteſt diſtillatione) poſtea aqueam, ac tandem terream, quam caſeum vocat, ſicut aquam ſerum.* Tu verò quàm latè vages, quàm aberres à mente Libauij, iam notiſſimum eſt. Tu ais Libauium diſtillare lac, at Libauius tantùm abeſt, vt id diſtillet, vt potius ab eo capite diſtillandi artem rationémque arcens, ſolo coagulo, co-

ctione, aut quiete illud ſeparet, aut ſeiungat. Tu ais, quod primùm diſtillatione elicitur, propriè ex Libauij ſententia ſerum nõ eſſe, ſed partem aëream. At Libauius, præterquam quod, vt dixi, lac non diſtillat, neque propriè, neque impropriè ſerum eſſe ait; ſed eſſe florem lactis, cremoremque, ſiue, quod idem eſt, butyrum. Quod ſanè tu videris nullo intellexiſſe modo: nam ſi ſciuiſſes aëreã lactis partem dici à Libauio florem, cremorem, & butyrum; profectò non ſcripſiſſes, *Iuxta huius auctoris ſententiam id quod priùs in diſtillatione egreditur, propriè ſerum dici nequit, ſed dicitur ſubſtantia aërea.* Contra verò Libauius ait igneam, quæ butyro ineſt, lactis partem nonniſi diſtillatione ſecerni poſſe. Tu autem eius mentem non aſſequutus, eius mentem corrumpis.

Lucian.

Iam verò adiungis Quercetani locum, ſed qua de cauſſa, vix, puto, tute noſti. Sanè *Mandrabuli more tibi res ſuccedit.* Non enim connexus eſt locus cum Libauij loco, non cum inſcriptione capitis, non cum iis, quæ præcedunt, non cum iis, quæ conſequuntur, cùm conſequantur nulla. Ergo non loco locum, ſed *Morbo quidem morbum addidiſti tu alterum.*

Sophocles.

Quod facit ad vim diſtillati ſeri, magis hoc refrigerare, illud argumento eſt, quod ſubtilius ſit, ac tenuius, ac proptereà faciliùs peruadens per omnes corporis partes: cúmque nitrum exuerit, partes calidas vtique depóſuit, Empyreuma, inquies, ei acceſſit. Mendosè. nam κατὰ τέχνην diſtillato ſero partes nullæ accedunt calidæ, ſed hac de re cap. 14. 15. 16.

An ſerum hecticæ opportunum? Galeni locus expenſus, aliter atque à Roderico explanatus.

CAPVT XII.

SERVM an febribus ſit vtile, diſceptas nono libri tui capite. & de hectica quidem id omnino affirmas, annuente Galeno 10. method. 11. vbi apertis verbis ſcriptum eſt, aſininum lac hecticis eſſe opportunum. Opportunum autem, inquis, quia ſeroſius: ergo ſerum, ais, hecticæ opportunum. Acutum ſanè, & ſubtile argumentum, quod ego verum vellem. Cæterùm veritatem inda-

gans ſubtilitatem ſubtilitate compenſo. Galenus aſininum lac, quod ſeroſius eſt, magis commendat hecticis. Eſto. At non propter ſerum: adeò vt humor ille hecticis ſit opportunior, ſed propter frigiditatem eius lactis maiorem, maioremque humiditatem. Itaque formalis ratio, vt περιπαθητικῶς loquar, cur lac aſininum in hectica cæteris præferatur, humiditas eſt, & frigiditas. Quòd ſi haſce qualitates lac haberet abſque copioſo ſero, ſero hecticis non eſſet opus. Quare non licet ſic ratiocinari, ſeroſius lac hecticis vtilius; ergo ſerum vtile, vel propter ſerum. nam ſi æquè frigidum humidumque vaccinum eſſet, licet minus ſeroſum, magis tamen probaretur, cùm magis nutriat firmiùs adhærens, æquè refrigerans humectanſque. Illud tamen animaduertas lac aſininum non eſſe frigidius quia ſeroſius, ita vt à ſero frigus accipiat. ſed potius è contra, ſeroſius eſſe quia frigidius: adeò vt ſeroſitas ex frigore, non frigus ex ſeroſitate naſcatur. Ex frigidiori animalis temperamento frigidius lac gignatur oportet, ac proinde ſeroſi humoris vbertas & copia. Hæc hactenus

—— *Nunc retrorſum*

Vela dare, atque iterare curſus
Cogar relictos. Horat.

Ad hecticam reuertor: quam accuratiùs hîc perpendere viſum eſt, vt enunciati mei clariùs innoteſcat veritas. Hectica calidum eſt, ſiccumque intemperamentum: atque ita calidum & ſiccum, vt partes ſolidæ exaruerint, feréque abſumptæ contabeſcant. Quare in hectica duplex ſcopus maximè ſpectandus eſt, alter intemperamento, extenuationi alter propoſitus. Itaque medicamentum ad hæc opportunum huiuſmodi eſſe debet, vt humectans & refrigerans facilè, multùm, citóque nutriat. Nihil ergo lacte accommodatius: quippe frigidum humidumque eſt, facilè adhæreſcens, facilè nutriens vel ipſius affinitate naturæ. Illud, inquam, accommodatius, quod frigidum magis & humidum promptiùs valdéque nutriat. Aſininum magis frigidum, minùs nutrit; vaccinum magis nutriens, minùs frigidum eſt. Illud intemperamento longè aptius, hoc opportunius tabeſcentiæ. Quod ſi hoc illius haberet cùm frigiditatē, tum humiditatem, etiamſi minori præditum eſſet ſeri copia, omnium tamen opportuniſſimum (his ſaltem ſpectatis) fermè cenſendum eſſet.

Vides ergo ex hac ratiocinatione, ſerum, aut ſeroſum lac, vt ſeroſum eſt, hecticis non valdè vtile, non valdè opportunum; ſiue mauis dicere, non propter ſeroſitatem extolli aſininum lac, & præferri à Galeno.

Cæterùm video, qui obiiciant illud Ariſtophanis in Ran.

Apertiùs mihi loquere, atque indoctiùs. mea nimirum verba (eorum caligine & aſperitate) non aſſequuti: hecticamque proinde ſpectandam eſſe dicent, vt calidum eſt, ſiccumque intemperamentum; non vt tabe macieque abſumpſit corpus & confecit: hacque ratione ſeroſius lac opportunius, hoc eſt ſerum ipſum: ſed verè hi, *Camarinam mouent, excitantque, vt dicitur, octipedem.* Seroſius lac opportunius eſt, quia frigidius humidiuſque. Ratio igitur formalis, cur præferatur, humiditas eſt & frigiditas. Itaque licet ita quidem argumentari, ſeroſius lac hecticis magis commodum (vtpote magis frigidum, & humidum) ergo frigus & humiditas magis commoda. Non verò ita, ſeroſius lac opportunius, ergo ſerum ipſum opportunius. Iam verò ſi ne modò quidem me audire velis, à meorum aſperitate, obſcuritatéque verborum, in

Lucianus de Apophrade Seruius 3. Æn. Suidas.

oſcitantiam tuam in tuam peruicaciam culpam deriuabo: & iurè deriuabo, cùm hæc mea non ſint aut *Teucrum Pacuuij*, aut προβλημα ἀρχιμήδειον. Cic. 1. de Or. idem Att. l. 13. ep. 28.

Seri nitroſitas. Quomodò lac, præſertim aſininum, nitroſius, quomodò ſeroſius cenſendum ſit?

CAPVT XIII.

Q*Vò me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.* Verè in ſyrtim delatus ſum, in ſcyllam libelli tui. Diu, fateor, multúmque laboraui, vt conſilium tuum aſſequerer. Aſſequutus tandem fui, atque ita aſſequutus, vt omnino mihi ſit inſequendum & conſectandum. Probare niteris, ſerum non eſſe nitroſum huiuſmodi ratiocinatione: Si ſerum nitroſum, lac etiam nitroſum eſſet: immo (quod inde ſequitur) quò ſeroſius lac, eò nitroſius eſſet. Ex quibus abſurda quædam in aduerſarium deriuas, hecticis nempe, quibus ex Galeni ſententia ſeroſius lac, vt aſininum, opportunius eſt, nitroſius eſſe opportunius: imò ipſum ipſum nitrum.

At reuerà aſininum non eſt, inquis, nitroſius, quamuis ſeroſius, cùm ex Galeni ſententia minùs acre ſit. Hæc eſt tua doctrina & argumentatio, à me hîc *picta coloribus tuis penicillo meo*. Itaque tu verè exiſtimas (poſito ſerum eſſe nitroſum) & lac nitroſum eſſe, & quò ſeroſius, eò nitroſius neceſſariò aſſerendum. Ego vt de lactis nitroſitate tibi aſſentio, ita planè diſſentio de nitroſitatis augmento pro rata portione ſeroſitatis. Haud difficulter in meam te alliciam opinionem, ſi tantiſper mihi operam dederis. Mulſum (vinum mulſum, mellitum vinum) aquæ miſceo: exempli cauſa, quatuor mulſi vncias, quatuor vnciis aquæ puræ. Mox eidem vaſi duas addo mulſi vncias, tres quatuorve aquæ puræ putæ. Hoc miſtum, quod ſex continet vncias vini mulſi, eſtne dulcius eo, quod quatuor prius continebat? Sanè ſi eodem tu, quo cæteri, palato præditus es, neque magis dulce, neque mellitum magis ſenties. At plus mellis habet, plus mulſi. Nimirum: ſed creſcit aqua ſuperatque vna alteraue vncia. Hæc ſi attendas planè intelliges, quàm acutè de ſero nitroque ratiocineris. Quò ſeroſius lac eſt, eò nitroſius: aſininum nitroſius eſſet, quia ſero-

Cic. Q. Frat. l. 2. ep. 14.

ſius, apertè falſa. Tu, qui hoc in loco aduerſarium inſimulas argumentationis vitioſæ, nonne vides tuum argumentationis vitium? Nonne vides tuum in æquiuocationem lapſum? Nonne vides ab extenſiuè (fas ſit loqui) ad intenſiuè te argumentari? Vides profectò, niſi *Lolio victites*. Seroſius lac nitroſius eſt, de nitri extenſiori gradu id ſi affirmares, verè affirmares: de intenſiori, vt verè affirmas, falsò affirmas. Plautus in Mil. a. 2. ſ. 3.

Iam verò ἐναργείας ergo & hoc addam, ſicuti non omnibus lactis generibus eadem ineſt ſeri menſura, cum alteri cumulatior, exilior inſit alteri: ita non omnibus ſeri generibus eadem nitri copia. Calidiora animalia, etſi minùs ſeri, plus tamen nitri gignant, oportet: frigidiora minùs nitri, plus ſeri. Itaque ſicut ex aſella plus ſeri emunges, ex capra minùs; ita ex eius ſero minùs nitri, ex huius extrahes multò plus.

Irridebis fortaſſe me, tanquam tuam non oppugnantem ſententiam, ſententiam non aſſequutum. Profectò non tam mea hebetudo, quàm præpoſterus eloquutionis tuæ ordo, eloquutionis obſcuritas erroris mei culpam ſuſtinet. Verè tua verba varié interpretari poſſum.

quod ſi conſultò feciſti, calliditas, ſi oſcitantia, oſcitãtia culpæ affinis eſto. ſed hîc ſiſto gradũ, ſtylum contraho, quaſi non audens meum interponere iudicium, ne fortè tua ſcriptura ſimilis ſit *Pyrrhandri, Vlyſsiſque commento, aut Sileno Alcibiadis.* Plato in Conu. Socratis. Cæterùm enodatiùs explica ſententiam tuam, & ego optimos imitabor medicos, qui

Sophocles. Πικρὰν χολὴν κλύζουσι φαρμάκῳ πικρῷ.

An ſerum aliis febribus præſertim acutis vtile? Ἐμπύρευμα potatum ſerum an nitroſius calidiuſque? Conciliatoris & Math. de Gradibus expenſa loca.

CAPVT XIV.

Hippocrates ne lac quidem timet in cauſone: Galenus ſerum apertè commendat, tanquam innoxium, imò omnino vtile & ſalutare: nullum in eis vitium, quo corpus poſſint afficere, videntes. Tu verò, Hippocrate & Galeno oculatiſſimis viris oculatior, multa perſpicis in ſero vitia, ob quæ in febribus illud

illud damnes. Nollem tam lynceus eſſes, ne tua nimia perſpicacitate acutiorique acie Hippocrati & Galeno lippitudinis inuras notã, hebetudinis, oſcitantiæ. Viderunt Herculès & illi quæ in ſero te vidiſſe ais: imò ijs ducibus, eorumue luminibus ea tu vidiſti: ſed neglecta fuerunt ab eis tãquam innoxia. Neq; neceſſitate coacti, hoc eſt mitiorum medicamentorum inopia lac aut ſerum vſurparũt, quia non pauca æquè leuia habuerunt ad purgandum & idonea & innoxia, mercurialem, maluam, betam, cartamum, cætera.

De nidore, quod addis, aciditate & corruptione σκυτίνη ἐπικουρία ἐστὶ. Namin ſtomacho vel bile referto vel æſtuante calore id* fortaſſe accidet. Quod ſi neutro ſtomachus vitio alioue inſigni labefactus ſit vt plerumq; ſolet in feb. in his certè commodum erit ſerum, vtile, ſalutare. Quinimo cum Hippocrates in pulmonũ eryſipelate, hoc eſt in æſtu ardoreque thoracis, cordis, hepatis, atque adeò præ bilis incendio in vniuerſi corporis conflagratione ad lac nedum ad ſerum confugit quo corporis reſtinguat ardorem, effrenatamque bilem compeſcat excandeſcentem demulceat, noxiam euacuet, non eſt, cur tu in mitioribus morbis, in leuioribus

Heſychius.

* Pelliceum auxilium infirmũ argumẽtum futilis ratio.

febribus illud damnes atque vituperes. Times aciditatē & flatus. Facilè timorem, ſi patieris, tibi abſterget Hippocrates, qui lac exhibet acidum eructanti, ac vomenti; ventrem murmure, torminibuſque dolenti, vt videre potes lib. 2. de Mor. lib. de int. aff. alibi.

Iam verò ab Hippocratico ad Hermeticum forum litem transfers. Accuſas Obicium poſtulatione apud Chymicos delata. Deſtillatum ab Obicio ſerum empyreuma adeptum contendis, hoc eſt, calidas quaſdam acreſque qualitates, igneaſque particulas; quaſi propriũ diſtillationis ſit partes indere calidiores. Ceterum contentus eſſe debuiſſes cucumeris aqua, nympheæ, lactucæ, quas nullum in diſtillatione acquirere empyreuma, tam certum eſt, quàm quod certiſsimum. Immo ſcias velim, empyreuma naſci ex immoderato igne, ex diuturniore ad ignem mora, ex materiæ, quæ ſtillatur, conditione. Etenim ſi rem quampiam ſicciorem calidioremque intemperato igni diuturniori tempore cõmittas; certè ignis vi, mora ve, aut materiæ conditione calidæ quædam exhalationes hinc adnaſcentur, quibus calidior, acriorque reddatur. Econtrariò ſi

blando igni moderatoque decenti tempore vel idemmet, vel potius aliud quippiam non tam aridum diſtillandum ſubijcias. nam paulatim & blandè ſurſum repunt tenuiores partes, ſubſidentibus craſsioribus, nulla ignis vi aduſtis. Hinc eſt, quòd magis damnandum ſit coagulum, quod innuit Galenus; quàm Chymica diſtillatio. Nam certo certius ſcimus, coagulum, præſertim caprinum, ſi miſceamus lacti, calorem adiungere: nitroſas verò partes ſi diſtillatione ſeparemus, calorem adimere. Iam verò ingruis in Obicium Σὺν θεῷ, vt ait Ariſtophanes, σὺν ἀσπίδι, Conciliatore nimirum & Matheo de Grad. Hi aſſerunt, potatum ſerum calidiorem quamdam ac nitroſiorem induere qualitatem. Ex quo tu multò magis, inquis, induet ex diſtillatione. *Conchas legere videris.* Ego ſanè mirari ſatis non poſſum, quî fieri poſsit, vt tu, qui dudum Galeno non credebas, modò Conciliatori tam facilè credas. Εἶεν, rata ſint, omnino firma, quæ infirmè à Conciliatore mutuaris. An proinde putas eis nos oppugnare? putas expugnare? Ne ſim, ſi eminus, nedum cominus pugnas: *Lactis aquam in penetratione ad pectus, & pulmones recipere à* Cic. 2. de Orat.

membris quandam caliditatem nitroſam, meritò ſuæ paſsibilitatis. Hæc de non ſtillato ſero ſcripta ſunt à Conciliatore, vel potius de non ſtillando, non verò de ſtillato. nam hoc aliter ſeſe habet. Vulgare ſerum eatenus adipiſcitur à calore noſtro nitroſitatem, quatenus *Paſsibile eſt*, nempe, quatenus aptum magis, diſpoſitum, & ſymbolum. quod enim nitroſum eſt, nitrumve non exuit, nitroſius facilè euadit *Meritò ſuæ paſsibilitatis*, ſymboleitatis ſuæ. Diſtillatum verò ſerum, cum nitrum deponat, ſymboleitatem vtique amittat neceſſe eſt: atque adeò paſſibilitatem, promptitudinem, ac diſpoſitionem.

Serum ſereno aëri commiſſum, an exuat calidiores ſui partes, necne? Multa de expreſſione, frigido aëre, vino algente.

CAPVT XV.

AQua, & igne interdicis Obicio, à Medicorum vniuerſitate eum lõgiſſimè exſulare iubes, quaſi Majeſtatis

crimen patrrauerit, ſerum aſſerens, vt exuat calidiores partes, Chymicorum officinæ, diſtillationi committendum. Longè aliter, inquis, apud prçſtātiſſimos quoſque medicos in more poſitum eſt. non igni, vt Obicius, ſed frigori, ſereноque aëri ſerum, quò calidas acreſque partes deponat, concredere conſueuerunt. Nam ambientis frigoris vi abeunt calidæ ſeri partes per expreſſionem extruſæ. Pulchra quidem ratio doctrinaque, &, vt prima fronte videtur, *Ex ouo nata.* ſed fas ſit loqui cum Horatio,

Introrſum turpis, ſpecioſus pelle decora.

Nam illud primò meminiſſe debuiſſes, quod ſecundo Exercitationum noſtrarum capite ſcriptum probatumque eſt, tenuiores nimirum partes frigidas eſſe, craſſiores verò calidiores. ſecundò, quæ cap.9. ac 10. vbi itidem probatum, in diſtillatione partes calidas ſubſidere, ſurſum frigidis perreptantibus. ſed te inuitum mea iterum vt legas non cogam. Illud ſanè attendas velim diligentérque perpendas, quî fieri poſſit, vt tenuiores euolent è ſero partes, vndique frigore obſiſtente? Quinimo compellantur introrſum, occludantur, denſentur, exituque clauſis poris prohibeantur neceſ-

ſe eſt. Opportuniùs meo quidem iudicio calidiuſculo aëri ſerum committes, vt partes inde tenues excludas. Quod certè apertiùs intelligi poteſt ex Galeno 4. ſimpl. 15. vbi ait lac & ptiſſanam æſtate faciliùs aceſcere, quàm hyeme. Aceſcit autem, vt fateris, tenuibus expirantibus partibus. ſed de expreſsione (ſiquidem anſam præbes) qua è ſero tenuiores, atque, vt ais, calidiores partes expirant, tecum paulò accuratiùs diſſerere conſilium eſt. De hac ita ſentio. Cùm aliquod (quoduis) humore madidum à frigore obuallatur, alterum ex his accidat, vel potius vtrumque accidat, neceſſe eſt: vel vt ipſummet in ſeſe cogat ab inimico frigore refugiens; vel vt frigus obuallet, obſideat, circundétque illud, quodcunque ſit, & obſtringat. Quauis ratione id fiat, facilè exprimitur inde humor, elabiturque, ſed ne veluti Mithæus quiſpiam Agamemnonem ſimulare videar; meúmque putes id eſſe commentum,& ſomnium, audi Hippocratem lib. de Loc. in Hom. *Fluxiones fiunt & perſrigerata valdè carne, & excalefacta. Fluxiones propter frigus fiunt, cùm caro in capite, & venæ tenſæ fuerint: hæ enim horrente carne & ad anguſtias perue-*

niente, adſtrictaque & excludente humiditatem exprimunt, & ſimul etiam carnes ipſæ exprimunt.

Cùm igitur ita ſeſe habeat expreſsio, velim, ipſe mihi declares, quanam ratione ab ambiente frigido exprimi poſſint è ſero tuæ illæ tenues partes! In capite, aut non abſimili parte facilè id accidet; cùm hoc humore plenum, à frigidoque ambiente coattatum, introrſum humorem cogat exprimatque neceſſariò. At ſerum à frigore nocturno obuallatum vndenam, quaue ratione exprimet tuas illas tenues partes? Ex ore vaſis? Minimè gentium. Frigidum enim circumſtans & occludit poros viaſque, & introrſum tenues partes compellit. Non ergo elabi poſſunt, vndique obſiſtente frigore.

Neque dicas, vinum efflare ſpiritus & euaneſcere ſereno frigidoque aëri commiſſum: primò quia longè faciliùs efflantur tepido, quàm frigido aëre. Deinde quia vini ſpiritus adeò ſubtiles ſunt, tenuéſque vt nonniſi vi quadam in humore ſuo cohiberi poſſe videantur. proprio enim impulſu promptè euolant, niſi probè coërceantur. Frigus autem tantùm abeſt, vt eos exprimat extrudatque,

vt introrſum potius compellat & occludat. Argumento eſt vinum niue refrigeratum: cuius ſpiritus à frigore introrſum ita compulſi ſunt & retuſi, vt guſtatui non ita ſeſe promant, atque dum niue non algent. Non eſſe autem abolitos niualis frigoris iniuria, ſed verè obtuſos interiuſque coartatos, ex eo liquet, quòd non ſecus caput petat vinum niue algens, inebrietque, ac dum nullo riget frigore. Non euolarunt ergo vini ſpiritus frigore expreſsi, ſed introrſum compulſi latitabant. Illud tamen verum eſt, à maximo, gelidiſsimo, perpetuoq; frigore, quandoque fieri expreſsionem, vt accidit in frigida diſtillatione: frigore nimirum efficaciore tunc ad expreſſionem, quàm ad meatuum excluſionem. De vino illud addo ex eo algente nunquam videas ſubſultare granula à ſpirituum vi ſurſum pulſa, vt è vino non algente: nimirum quia à niue & ſpiritus compulſi ſunt introrſum, & occluſi meatus denſataque ſubſtantia. Ridebis, non ſecus ac *in diuitijs Craſi teruncij acceſſio*. ſinam, cum probè nouerim, *Non omnibus omnia æquè ſuauia*, nec *Iouem ipſum omnibus placere.*

Cic. 3 de finib.
Plaut. in aſin. a. 3. ſect. 3.
Theog. in ſent.

Rurſus ſtillatum ſerum, aquæ empyreuma: Serum ſtillatum, an verè ſerum?

CAPVT XVI.

— *Vigor hauſturus latium, ſi cetera Martis Adiumenta forent.* Silius lib. 16. de Hannib.

Planè contriuiſſes Obicium, funditus deleuiſſes, ſi vis reſpondiſſet animo, reſpondiſſet auſo. Conatur Obicius diluere, quæ contra ſeri diſtillationem afferri poſſunt; & empyreuma infirmare conatur, exemplo deſtillatæ lactucæ, nymphea, cucumeris, quæ in alembico calorem nullum, (poteſtate) nullum empyreuma adipiſcuntur. Acriter inſtas aduerſus hæc, vanam futilémque eſſe dictitans comparationem ſeri cum nymphea: cum hæc, quanta quanta eſt, frigida ſit, omnis ferè caloris expers: ſerum verò non exiguum habeat caloris gradum. Quare hoc non vt illa poſt diſtillationem in eadem frigoris conditione perſeuerabit, ſed paulò calidius, quàm antea, euadet. Sed hæc tua ratio Lari, & Cepphi parturientis ſimilis eſt. Intelli-

ges id profectò, ſi, tantiſper ſepoſita nymphea, lactuca, cucumere; cichorium diſtilles, roſam, opium, cetera, quæ licet frigida ſint, partes tamen habent, vt tuũ noſtrumque ſerum, non mediocriter calidas. Aquæ, ex his extractæ, ſunt ne calidæ? Depoſuerunt profectò calorem in alembico, cùm depoſuerunt eas partes, quibus inerat amaritudo. Idem de ſero ſenties, ſi ſapis. Exuit certè & hoc eas partes, quibus hærebát acedo, amaror, vel potius ſalſedo. Guſta, niſi credas, ſtillatum ſerum; guſta non ſtillatum. Iam verò, quaſi *extrito puluere*, iterum petis Obicium, alio ſtipatus argumento. Serum, inquis, ſi calidas, acreſque diſtillatione amiſit partes, pura erit aqua, pura puta; nulla vi, nullá præditum virtute. Hanc rationem, quam docti quidam viri, & ſanè docti, quaſi ex tripode dictam, exiſtimant; ego (liberè loquar) Τὸ Δίονος γρῦ dignam puto, quæ refellatur. Sed vt argumento argumentum conuincam, betonicæ aquam oppono, fæniculi, agrimonij, poligoni, ceterorum huiuſmodi. Nonne horum diſtillatæ aquæ exuerũt ſaporem omnem, acrimoniam, odorémque? ſenſu iudice, rationéque exuerunt. Ergo hæ puræ ſunt

aquæ? Apage. Tu ſanè aliis omnino de cauſis aqua betonicæ & fæniculi, atque pura puta vteris.

Sed accuratiùs hîc inquirendum eſt, an ſtillatum ſerum, ſerum ſit, verè ſerũ. Duplex argumentatio: altera aduerſus te ſero nitrum eripientem; altera aduerſus eos, qui vel vberrimum ſero impertiuntur nitrum.

Te vt refellam, non eſt cur admodùm laborem. nam diſtillatione, ais, caſeoſæ tantùm partes ſeparantur. quod enim in imo vaſis ſubſidet, caſeoſæ, inquis, ſunt miſtæ ſero partes. non ergo ſerum. quicquid igitur ſurſum euolat, ſerũ eſt. Cauillaberis fortaſſe hæc, inquiens, neque illud ſerum eſſe, ſed humorem à ſero natum, à ſero longè diuerſum. Quæro, liquor hic eſt ne verè nouum miſtum, nuper natum diſtillationis vi: an idem quod prius, purius tamen, atque ſubtilius, tenuiuſque? Primum, ſi me audies, non aſſeres,

Vulneri vti ne quis vulnus tibi forſitan addat. Homer. 1. Iliad.

nam peruertis ſpagiricam artem, hermeticorum pharmaca funditus euertis. Audi: ſi nouum eſt miſtum, veteris corruptionem præceſſiſſe, neceſſe eſt. ergo priores interierunt qualitates, poſterio-

Digitized by Google

ribus recenter genitis. At ſcimus, eaſdemmet permanere; ſenſu iudice, ac teſte ſcimus. Permanent, inquies, ſed è miſto migrant in miſtum cōmunis ſubiecti beneficio. Mendosè. nam ſi qualitates agentis vi deletæ non ſunt, quî fieri poteſt, vt deletum ſit miſtum, ad reſiſtendum propulſandamque agentis actionem multò fortius? ſi ſeri qualitates diſtillatio non corrumpit, neque ſerum corrumpet. nam hoc non minùs, quàm illæ, contrarium & inimicum eſt igni diſtillanti. imò ſi hoc continuum eſt, iis intercedentibus contrarium. Præterea ſi nouum ſemper miſtum diſtillatione generetur, idem ſemper miſtum generatur. Patet: quia idē ſemper agens, eadem ſemper agentis virtus, eædem qualitates, eædem ſemper diſpoſitiones inducuntur in quodlibet, quod diſtillatur, ſubiectum. Neceſſariè igitur idem ſemper naſcetur miſtum. Varietatem fortaſſe acceptam referes miſtorum varietati, quæ igni diſtillanti ſubiiciuntur. Caue. nam ignis ſi generat, ignem ſemper, aut ferè ſemper generat. particularis hic cauſa eſt, non vniuerſalis ſol ſolus, aut ferè ſolus varia gignit, herbas, plantas, ranas, mures, pecudes, leones,

homines. hæc, inquam generat, aut ſaltem generare poteſt nullius adminiculo.

Neque ignis, ex accidente agentis, diuerſitatem effectuum ſobolem eſſe dicas: quia quod non per ſe, ſed ex accidente fit, non ſemper fit, ſed aliquando ex accidente. At varietas hæc nunquam ex diſtillante igne non naſcitur: ergo non ex accidente, ſed per ſe naſcitur. Itaque affirmemus vtique neceſſe eſt, ignem diſtillatione non corrũpere prius miſtum nõ generare poſterius; ſed mundius illud reddere, purius, concinnius, ſordibus abſterſis, fæcibus, immunditiis.

Hæc accuratiùs mihi perpendenti, ignemque diſtillantem attendenti, miſera videbatur huius conditio: & quaſi ſumma illa, qua ceteris omnibus longè præſtat, vi & facultate ſpoliatus, à communi agentium cætu, quaſi Διονύσιος ἐν κορίνθῳ, exſulare videbatur. Etenim vel infirmiſſimum agens, ineptiſſimam tractans materiam, ſibique acriter reſiſtentem, tandem aliquando ſibi ſimilẽ creat effectum, aut non abſimilem inde ſibi concinnat. Vnumquodque enim agens ideò agit, vt id, in quod agit, ſibi aſſimilet. Ignis maximè omnium agendi vi

Cic. Att. l. 9 11.

pollens, minimè omnium finem, agentibus propoſitum, aſſequeretur. Huic diſtillanti vel ſi aptiſſimam ſubiicias materiam (ſulphur) nunquam tamen videas, quod diſtillatum eſt, ignis induiſſe formam. Perſiſtamus quæſo in ſulphure. nam hoc vel obſtinato tibi perſuadebit, deſtillationem non corrumpere vetus miſtum, nouum non generare. Occlude ſulphur in vas diſtillatoriũ, ignis vi committe eo conſilio, vt flores inde colligas, tenuiores nempe, & puriores eius partes, vt è ceteris diſtillatione ſolet. Ignis profectò tibi cudet non miſtum aliquod à ſulphure diuerſum, ſed ipſummet purius atque concinnius, omni vel plurima exutum fæce.

Blaterabit fortaſſe quiſpiam peruicax flores ſulphuris non eſſe ſulphur, verum ſulphur. Latentes rerum formæ nonniſi propriis ſe nobis promunt accidentibus, propriiſve effectibus. Sulphur ſtillatum eodem, quo non ſtillatum ſapore præditum eſt, eodémq; colore, virtute planè eodem naturaque. Nam ignem concipit, ardétque eodem, quo antea, imò faciliori modo: exſiccat, calfacit, ſcabiei medetur & lepræ, luique venereæ: ſerpentes, formicas, culices arcet atque

interimit; omniaque præſtat, quæ à non ſtillato, ſublimatove præſtari ſolent: ea tantùm ſi excipias, quæ à tenuitate prohibentur. nam aquis immerſum non vt ſolidum, & non ſtillatum multis ſæculis intactum perſeuerabit. Itaque ſtillatum ſulphur ſulphur eſt numeris omnibus abſolutum, immò magis abſolutum perfectúmque. Quòd ſi fætidi & graueolentis ſulphuris veritatem ſubodorari graueris, velim, vt Mercurium ſaltem attendas. Diſtilla, ſublima, præcipita, aliquouis modo igne tracta hoc metallum (minerale veriùs dixerim) Mercurij tamen formam nunquam abolebis. Nam ſicuti Mercurius Hermes etiamſi varias induat formas & perſonas, muſici, mercatoris, furis, nuncij, lanifici, cytharædi, ſolis, zephiri, aëris, veris, &c. ſemper tamen Mercurius eſt, Cæli nempe, ac Diei filius. Ita Mercurius metallum etiamſi redactus ſit in puluerem, humoremve, aut per diſtillationem, aut per præcipitationem, aut per ſublimationem, aut alio quouis modo quamuis aliam induerit formã, ſemper tamen propriam tuetur naturam, inſitamque à natura formã. Nam etiam ex præcipitato & ſublimato in priſti-

nam argenti viui formam redigitur.

At video te, à meis victum argumentis, quaſi *Talaria induere*, vt fuga ſalutem petas. Mane, hîc adeſto, & audi, quæ contra collegas tuos nunc promo.
Cic. Att. 14. 23.
Vides iam in ſecundam me irrepſiſſe argumentationem, eos nimirum oppugnare, qui nitrum ſero tribuentes, illudque ex hoc diſtillatione ſeparari poſſe autumantes, negant tamen diſtillatum ſerum ſerum eſſe: quippe hoc ex plurimis conſtans ſubſtantiis, aquea, nitroſa, &c. ſi diſſoluatur per diſtillationem, abeat in elementa, ex quibus conflatum eſt, aquam, nitrum. Hæc ſuperiùs à me dicta labefaciunt: labefaciunt & hæc: Acetum ſtillatum acetum eſt: omnino: guſtatus iudex eſto, aduerſarij guſtatus. Prætereà dicas, velim, num rhabarbarum, ex hermeticorum officina prodiens, rhabarbarum ſit. Certè ſi molem quis ſpectet, vt ſolent idiotæ, rhabarbarum non eſt, abiit enim in ſubſtantiam formamque ab illo diuerſam. At ſi vim virtutémque omnino rhabarbarum eſt, purgat enim bilem, vt antea, atque adeò valentiùs: eodem ſapore, odore, virtutéque præditum. At exuit plurimas ſui partes: exuit, fateor, ſed non

exuit

exuit eſſentiam, naturamque

Sed inuenior Parthis mendacior. Horat.

pollicitus eram, te præterito, alios meis petere argumentis. At *Cæcus Mars eſt inita pugna:* quemcunque obuiam oppugnaui, ſed reuerà *ipſe tibi malum, vt turdus, cacaſti,* pugnandi mihi præbens occaſionem. Itaque illud Ouidij tibi canit Parœmiograp.

Heu patior telis vulnera facta meis.

Hermeticæ artis antiquitas: An Hippocrati & Galeno cognita, quomodo cognita.

Capvt XVII.

Diſputas contra aduerſarium tuum de Chymicæ artis natali. Iniuriâ. Nam nullus vnquam Medicorũ contendet, hanc quaſi nuper natam adhuc vagire in incunabulis. Etenim vel qui Spagyricorum ſcholas à limine ſalutarunt, eos de antiquitate huius artis ſeſe iactantes audierunt. Et quidem apud Arabes in vſu poſitam fuiſſe Chymiam, liquet apud Raſem, Meſuem, Auicennam, Geberum: quorum ſcripta qui non voluit, is tantùm ignorat, eos chymicos

fuiſſe præſtantiſſimos. Quinimo floruit hæc ars nongentis prope annis ante hos Arabas, Theodoſij nimirum Imperatoris ætate, Heliodoro, ſi Cedreno habenda fides eſt, de Chryſopœia ſcribente. Et Iulius Frontinus tempore Flauij Conſtantini circa an. Chr. 320. Hermeticæ cultores extitiſſe, memoriæ prodidit. Immò 50. circiter annis ante Conſtantini Magni Imperium, Diocletiano Domino, apud Ægyptios floruiſſe Chymiam, proditum eſt à Suida. Nam Diocletiani mandato conquiſitos fuiſſe ait Chymicos omnes libros, ignique traditos, vt ne iterum confecto auro rebellarent Ægyptij. Adhuc antiquiorem, imò longè antiquiſſimam hermeticam facit hic idem auctor. nam aureum vellus, ad quod repetendum argonautica expeditio facta à Iaſone fuit circa an. mundi 2700. ante Diocletiani dominationem 1530. circiter an. nihil aliud fuiſſe ait, quàm librum, in quo ars conficiendi auri traderetur. Quinimo 300. prope annos ante Græcos heroës Herculem, Orpheum, Argum, Caſtorem, Pollucem, Iaſonem, apud Hebræos claruiſſe Chymiam, imò mulieribus notam, ſunt, qui tradant. Non ſolùm enim eo tempore

Moſem (quem auctorem pleriquc faciunt huius artis) ſpagyricam feruntexcoluiſſe, ſed etiam Mariam eius ſororem artis fuiſſe peritiſſimam. Caſaubonus auctor eſt, Pariſiis in Bibliotheca Regia huius fœminæ de Chymia cõſcriptum librum aſſeruari. Maiorem natu, imò natu maximam, &, vt dicitur, *Antiquiorem, quàm Chaos, & Saturnalia tempora*, nonnulli eſſe cenſent hanc artem. Non ſolùm enim ad Hermetem (vnde Hermeticæ nomen) Triſmegiſtũ, Mercurij nepotem ſpagyricam referunt; ſed ad ipſum Adamum, humani generis principem & ſeminarium. Itaque vt hęc nota ſunt, vel certè nota eſſe debent etiam ijs, qui primoribus modò labris hermeticam deguſtarunt; ita apud me certum eſt, antiquis illis temporibus omnino rudem incultamque fuiſſe. Nullam enim artem videas, ſtatim natam, ſtatim adultam. nam ſicuti magna vi hominum, induſtriaque naſcuntur artes, ita ſenſim adoleſcunt perenni cultura, ſumma diligentia, ſolertiaque diuturna.

Quare vt veriſimile eſt, notam fuiſſe Hippocrati, viro mehercule πολυμαθεστάτῳ, atque adeò Galeno omni, & ipſi, doctrinarum genere inſtructo hermeti-

cam artem, ita rudem eo tempore incultamque fuiſſe, æquè veriſimile eſt. Non enim puto, vel in vſu, vel frequenti in vſu poſitam apud eos fuiſſe artem diſtillandi aquas, herbas, flores, radices, æs, argentum, aurum, metalla, foſſiliaque omnia, lapides ipſos, ipſum cælum, ſi cæli fruſtulum haberi poſſit (nam

Claudianus. *Huc . . . mortalis progreſſa potentia cura.*) Et apud Galenum quidem, vel nullum, vel ſubobſcurum, etiamſi Lynceus eſſes alchymiæ artis veſtigium aduertes. Locus tamen eſt 1.ſimpl.18. vbi neſcio quid videtur innuere. De aceto loquens hæc habet: *Atque ego ſanè non multùm abeſt, quin eorum laudem ſententiam, in eamque promptè accedam, Proque hac aſſertione & opinione pericula omnia ſubeam, ſi quam machinam, aut artem inuenire poſſem ſicuti in lacte cõtrariarum partium ſeparationes, ita hic quoque. Nunc autem quia lac vniuerſum non ſit homiomeres & ſimilare, neque vndequaque ſibi idem, clarè monſtrat eius coagulatio, excogitata videlicet multis hominibus ratione, qua partes caſeoſæ à ſeroſis ſeparari poſſint. Atque neque tale quid repertum in aceto eſt, neque manifeſtò demonſtrare poſsis, quantum eius eſt tenue, atque exactè humidum refrigeret. Quod verò ſecundum facis ſubſtantiam*

in eo defertur, velut in vinis calefaciat. Nam ea ſolùm ratione apertè quis probauerit, ex contrariis ipſum partibus conſiſtere ſicut lac. Haud abſimili, ſubobſcuro, rudique modo nota fuit Hippocrati lib. 1. de diæta 17. de auro potabili aliquam facit ſuſpicionem, *Aurum operantes tundunt, lauant, molli igne liquant, forti autem non conflatur, vbi verò elaborauerunt ad omnia vtuntur.*

Roderici de Galeni mente opinabilis diuinatio. An ſtillatum ſerum humectet, ac refrigeret? refricatur Microcoſmi diſtillatio, & macrocoſmi: Aqua maris quomodò dulcis euadat?

CAPVT XVIII.

MAgna mihi controuerſia hîc tecum eſt, nec vllo componenda modo, quàm Galeno ab inferis reuocato. Perſcrutaris Galeni mentem; diſputas, quid modò ageret, ſi nobiſcum degeret: an diſtillaret ſerum, ſi diſtillandi artem calleret. Sanè aliorum animum intimè ſpeculandi, nunquam mihi animus. nam

Euripides in Hippolyto. Ariſtophanes apud Zenod. Suida.

Non ſum augur, abdita ſcire vti queam palam. Tu verò longè animoſior, fidenter in Galeni mentem peruadis, eiuſque, quaſi *ad Apollinis bolmum cubaueris*, aut *Vulcanus tibi vaticinatus eſſet*, intima luſtras penetralia. Sed attendamus hanc vaticinationem tuam. Galenus, inquis, non diſtillaſſet ſerũ purgationis cauſſa, quia diſtillatione ſeiũgitur interitve ea pars, in qua purgandi vis ineſt. Neque alterationis, quia, inquis, *ſi ad alterandum vel humectatione, vel refrigeratione alterare vellet.* (Galenus) *ſi humectatione, non erat conueniens ſubſtantiam diſtillatione ſubtilem reddere, quæ cito tranſiret, quippe ad humectandum tempus exigitur.* Exiſtimas itaque Galenum non diſtillaſſe ſerum ad humectandum, quia humectatio non ſtatim fit, non continuò, ſed tempore & paulatim. At ſerum ſtillatum, cum ſubtile ſit ac tenue, ſtatim præterlabitur, ne paululum quidem commoratum.

Probè noui ex optima ſolidaque philoſophia, cuilibet actioni phyſicæ non ſolùm opus eſſe agentis vi, patientis aptitudine, horumque accommodata vicinia; ſed etiam congruenti tempore moraque. Nulla enim actio (ſi fortè generationem, illuminationem, & coagu-

lationem excipias) ſtatim fit, &, vt loquuntur philoſophi, in inſtanti; ſed tempore ſumptoque ſpatio. Probè etiam noui, ſicuti caloris, ſiue, vt veriùs loquar, calidi virtutem agendi validiorem eſſe, & velociorem; ita infirmiorem ſegniorémque eſſe humidi. Et quemadmodum illud validiùs, citiuſque agere; ita fortiùs hoc, & diutius reſiſtere. Iam verò (quod omnino animaduertas velim) actionis mora aut tempus non definitur ſolùm ex agentis vi & facultate, ſed etiã ex aptitudine patientis. Quare licet ignis citiùs agat, aqua tardiùs; ille tamen ſeriùs ferrum calefaciet, hæc citius humectabit pannum. His ita conſtitutis, aduertamus animum ad ſtillatum ſerum. Etſi enim tenue hoc ſubtiléque eſt, ac proinde facilè præterlabitur; non hinc tamen fit, vt eas non afficiat alteretque partes, per quas præterfluit: quippe carneæ eæ ſunt, valdéque aptæ ad actionem ſuſcipiendam. Neque enim tibi fingere aut potes, aut debes, nictu oculi ſerum elabi & præterfluere: nam hæc

Sunt apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis. Martial. lib. 14.

Quinimo iam diſtillatum ſerum tenuius ſit, humectabit faciliùs, faciliùs pene-

trans, ſeſéque inſinuans per omnes carnium meatus: atque pertingens ad longiſſimas quaſque particulas. Certo certiùs ſcio, temet ad hoc vt aqua magis humefaciat, acetum addere, quod eam attenuans, & quaſi ſubtiliorem reddens, longiùs deducat. Itaque ſerum diſtillatum & intenſiuè, vt ita loquar, & extenſiuè multò, quàm antea, validiùs humectabit; multò longiùs, ac latiùs.

Sed perpende, ſi libet, ſi tibi eſt otium, ſtillatam lactucæ aquam, quæ veluti impetu quodam ingenito ad caput aduolat. Velim dicas mihi, num hæc ſtomachum humefaciat, hepar, cæteras, per quas, caput petens, præterfluit partes? Sanè vt ingenuus, id non diſſimulabis. Itaque, *vt nectam vltima primis*, Galenus ſerum vſurpaſſet (ſiquidem cogis me, quod nolebam, diuinare de Galeni mente) humectationis cauſſa.

Videamus modò, numne ad refrigerandum? Et hoc tu negas, cauſſamque negationis affers, quòd ſalſedo non ſeparatur diſtillatione, ſed augetur potius, aut communicatur; vt patet ex Microcoſmi diſtillatione, cùm hæc non raro è capite fluat ſalſa. Tua hæc eſt argumentatio, tua philoſophia, quæ vt

clariùs innoteſcat, tua ipſa verba, etſi longiuſcula, hîc adſcribam: *Nonne membra noſtra ita fabricauit natura, vt officinam chymicā repræſentent? ita ſanè. calor nanquè innatus deſtillationes, cohobationes, & omnem ſeparandi artem molitur. Viſne etiam, vt microcoſmus, macrocoſmo, ideſt mundus iſte paruus, mundo magno comparetur? eſto, & deſtillationes quæ fluunt è capite ex vaporibus illuc aſcendentibus, comparemus pluuiæ, comparemus etiam alembico; vtrumque cum bonis autoribus faciemus. Quid inde? nonne deſtillatur multoties à capite materia ſalſa? maximè, & deſtillatio ſalſa à medicis dicitur. Iam ergo hinc edocti euadere poſſumus ſalſedinem non extrahi deſtillatione.* Tibi benè ſit, qui me à maxima expectatione liberaſti. In toto tuo Commentario anxius ſemper expectaui, vt de tuo Microcoſmo aliquid promeres. En tandem habeo, quod deſiderabam: ſed ita tamen, vt id accuratè mihi ſit perpendendum & examinandum. Exiſtimas igitur, te καθόλε probare poſſe, ſtillatum ſerum non deponere calorem in alembico, ſed eum potius adipiſci; ac proinde exhibendum non eſſe ad refrigerandum, quòd diſtillatio non raró è capite fluat ſalſa. Non ita ſe res habet, mihi crede: longè alia

Rodericus ſcripſit de Meteoris Microcoſmi.

eſt microcoſmi diſtillatio à macrocoſmo. Exploremus vtramque atque adeò mutuam, ſi quæ eſt, inter has cognationem exploremus: quodque proinde in rem præſentem ex ambobus deriuare poſſimus.

Quòd facit ad Microcoſmum, hoc eſt ad catarrhum, caput rotundum & cauum, impoſitum eſt omni corpori tanquam cucurbita: huiuſque more humores trahit è ſtomacho, iecinore, liene, hypochõdriis omnibus, omnibus ſubiectis partibus: & hæ etiam partes vltro humores vaporeſque impertiuntur capiti. Qui deinde vel ſuomet impetu in ſubiectas inde partes labuntur (de humoribus id intellige, vel etiam de vaporibus, in humorum formam vi frigoris concretis) vel certè caput iis laceſſitum eos pellit fugatque. *Non enim moratur in capite, quod inflat, niſi caput ſimul ægrotet.* Hac ratione ſe habet fluxio & catarrhus, cum συμπαθῶς naſcitur.

Hippocrates de Gland. tex. v.

Quòd verò facit ad ſalſedinem, hæc fluenti inſeritur materiæ (fluxuræ veriùs dixerim) vel in capite, cum mora tenuiores eius partes à calore abſumuntur; & propterea craſſiores, ac terreæ quodammodò ſalſeſcunt; haud abſimili ratione

qua maris aqua, vi caloris tenuioribus amiſſis partibus, concipit ſalſedinem: vel certè eiuſdem moræ beneficio (maleficio potius) eadem materia aliquam ſubeat aut putredinem, aut ſpeciem aliquam imaginémq; putredinis. At quouis modo id fiat, certum eſſe videtur, in capite gigni ſalſedinem: annuente etiam Hippocrate lib. de loc. in hom. 22. *Fluxio non eſt ſalſa, vtpote non è cerebro.*

Iam verò ſi materia diſtillans ſalſeſcat in capite, inter microcoſmi, & macrocoſmi diſtillationem nulla planè cognatio, nulla omnino intercedit ſimilitudo. Rem tute diligenter perpende, & iudex eſto. Macrocoſmi diſtillatio non in capitello, vt vocant, quod vel frigidum eſt, vel vergit ad frigus; ſed in vaſe, quod calore feruet, concepit ſalſedinem. Microcoſmi verò omnino è contra, in capite, etiamſi infernæ partes, vt ſtomachus, quaſi algeant. Imò fluxio diſtillare poteſt ſalſa, etiam ſi caput ex infernis partibus materiam non mutuetur, ſed ipſummet ſibi gignat. Qua ratione quãtùm diſtet microcoſmi diſtillatio à macrocoſmi, perſpicuè videt vel *Cumano ſtolidior, & Æacidarũ genere.* Iam verò ſi materia diſtillans ſalſedinem contraxerit Cicero 2. de Diuin.

non in capite, ſed in iecinore, aliaue inferiori parte, altero ex his modis id contigiſſe neceſſe eſt; vel nimio hepatis incendio, vel humoris biliofi miſtione (ratum ſit, quod vulgo dicunt de bilis miſcella: nam etſi vix adduci poſſum, vt credam, amari miſtione ſalſum naſci poſſe miſtum; tamen impræſentiarum vniuerſitati medicorum contradicere, non licet, non libet) ſi bilis ſocietate ſalſa euaſerit diſtillans materia, expiſcare, obſecro te, huius cum alembici diſtillatione cognationem aliquam & ſimilitudinem. Etenim vel lippi vident, apertè vident, diſtillantem hanc materiam, etiamſi nunquam aſcendiſſet, deſcendiſſet, diſtillaſſet, tamen ſalſam eſſe. Non ergo ex diſtillatione ſalſedinem adipiſcitur. Non ergo vlla intercedit ſimilitudo inter microcoſmi tui & macrocoſmi diſtillationem.

Si verò ſalſeſcat materia calido nimis hepatis intemperamento, exſiccante nimirum & abſumente partes tenues nimio calore viſceris; contra nos tu incaſſum agis, argumentoque *piſtillo retuſiori* Nam ſicuti hæc diſtillatio ex nimio calore adipiſcitur ſalſedinem (nam moderatus iecinoris calor numquam ſal-

D. Hieronym.

ſum tibi promet humorem) ita diſtillatio alembici ſalſa fiet, cùm perperam, non ex arte igni diſtillanda materia committitur: cùm hic nimius eſt, incongruus, adurens. Prætérquam quod enim tunc promiſcuè ſurſum feruntur tenues, craſſæque partes, nulla congrua ſeparatione facta; quæ remanent, adurantur, nedum ſalſeſcant, neceſſe eſt. Longè verò ſecus, ſi moderato igni eam diſtillandam committas. paulatim enim ac blandè ſurſum repunt tenues partes moderata ignis actione affectæ ſubſidentibus craſſis, nulla ignis vi aduſtis, vel ſalitis. Tu itaque ex arte, non perperam elaborata alembici diſtillatione nobiſcum pugnare debes: ſiue microcoſmi diſtillationis ſimilitudine macrocoſmi diſtillationem non perperam, non præpoſterè factam, ſed κτ̀ τέχνην, ſciteque, à tuique ſimillimis elaboratam, ſalſam eſſe probare debes. Proba, ſi potes, materiam congruenti moderatoque igni commiſſam à perito artifice ſalſam euadere. Sanè vt è moderato iecinoris calore, ita è congruenti calore alembici ſalſam nunquam elicies diſtillationem. Hæc adeò aperta ſunt, adeò clara, vt nobis adnitendum non ſit, apertiori

comprobare argumento. non enim, vt cum Horatio loquamur,

Sincerum cupimus vas incruſtare.

Iam verò, niſi piguit ea attendiſſe, illud prætereà intellexiſti, quàm inane ſit argumentum tuum è ſudore accerſitum. Audiamus tua verba: *Aliud tibi exemplum proferam, ſudor ſit etiam ex vaporibus concretus, & ſudor vtplurimum nitroſum habet ſaporem.* Ab inferis reuocare videris Empedoclem, qui tantum tribuit ſudori ſalſo, vt mare ideò ſalſum eſſe dixerit, quòd terræ ſudor eſſet. ſed hæc opinio, vtpote Poëtarum figmentis cognata, abeat ab Academia, exſulet à Lyceo. Illud monuerim de ſudore: ſicuti hic, vel te ipſo confitente, non ſemper nitroſus eſt, ita ſtillatum ſerum non ſemper nitroſum, nitro à diſtillatione accepto. Et quemadmodum ſudor tunc nitroſus eſt, cum partes, vnde manat, nimio calore feruent; ita ſerum tunc ſolùm nitroſum, cùm vas, vnde ſurſum euolat, immoderato igne æſtuat: hoc eſt, cum diſtillandi ars ab rudi ignaroque Chymico malè accipitur. ſed de his alibi dictum eſt fuſiùs: ad ea quæ ſequuntur, accedamus.

Ab igne deſcendis in aquam, Icari, vt videris, caſum renouans: maiori Icari

ſaltu. Nauigas Oceanum, ſed minùs tutò, imò periculosè. nam, reflantibus philoſophiæ auſtris, periculum non mediocre eſt, ne ad ſcopulos alliſa doctrinæ tuæ naui, eius non mediocre facias naufragium Sed ſpectemus hanc nauigationem tuam, quò curſum dirigat, quem portum teneat: ſiue potius nauale certamen, quaſi extremam triariorum pugnam ſpectemus: *Tandem*, inquis, *aqua maris non vtique ſimplici diſtillatione dulcem efficies.* Ex quibus concludis, ſerum diſtillatione non reddi mundius, puriuſue, non calidas, non ſalitas aut nitroſas partes exuere. ſed *Linum lino nectis.* Parœmiographus.

Luſitanus es, hoc eſt, rei nauticæ peritiſſimus: eſſe profectò deberes, ſi Luſitanus. Qui, longa, miniméque portuoſa nauigatione ſuſcepta, haud rarò aquæ dulcis caritate laborant, quædam habent vaſa, è neſcio qua terra lignove conſtructa, quæ vacua obturataque in mare demiſſa breui implentur: permeantibus nimirum in vas per cæcos illos meatus tenuioribus aquæ partibus, craſſioribus ingreſſu prohibitis. Hoc, quod noſtri temporis nautæ, aut terreo, aut ligneo vaſe præſtant, è cera confecto præſtabat Ariſtoteles. Quæ per hæc vaſa Lib. 4. Meteor.

Ariſt. 23. Quæſt. ſectione.

permeat, aqua dulcis omnino fit, palatoque ſuauis. Quinimo ſcias, eandem maris aquam decoctam & refrigeratam vſui eſſe ad potandum: quia nimirum Decoctione terreum ſalſumque partim ſubſidet, partim attenuatur. Accedit, quòd è la[illegible], lateribus appenſa nauigiorum, dulcis humor exprimitur. Et mare argilla percolatum amittit ſalſuginem. ſed hac in re conſulendus eſt Medicinæ & Philoſophiæ Dictator perpetuus, eique omnino acquieſcendum. Eius hæc ſunt verba lib. de Aëre, Aquis, & Locis, *Aquæ pluuiales leuiſſimæ ſunt, ac dulciſſimæ. primùm enim ſol, quod tenuiſſimum eſt & leuiſſimum in aqua, educit, ac ſurſum rapit. Clarè autem hoc ipſum mare facit. quod enim ſalſum eſt, iſtic relinquitur; quod verò tenue eſt, ſol ſurſum rapit.* Hæc omnia V. C. ſi attendas, omnino & ingenuè fateberis diſtillandam maris aquam ſimplici diſtillatione dulcem euaſuram, palatoque ſuauem.

Tex. 17.

Iam verò planè animaduerto, me quaſi nouum conſtruxiſſe * πεντάπλοον. Vellem † φιλοτήσιος potius eſſet: quo bibito diſſentionis noſtræ aboleretur memoria, reconciliataque gratia, ἀλκυονίδας duceremus dies. Vale. Romæ 1631.

* Res quæpiã variis referta reb. vt Commẽtariũ, Oratio, &c. Propriè tamẽ dicitur poculum quinque variis liquoribus plenum.

† Poculus, quo amicitiæ vel conſeruãdæ, vel adipiſcendæ gratia propinabatur.

Digitized by Google

Hæc habui, Triumuiri ſapientiſſimi, quæ in Commentario C. Philetij duabus hebdomadibus animaduerſi, volanti ad vos nedum currenti calamo ſcriberem. Vos, quibus, tanquam Æſculapio prognatis, commiſſa noſtræ reipub. ſalus, creditaque eſt, vt hæc (ſcio) ad communem vtilitatem, commodumque referetis, ita peruelim, vt ſi quando vrbaniuſculè luſi, aut caſtigaui liberiùs in deteriorem id nunquam accipiatis partem. Non enim eò me gloriæ cupiditas adegit, vt alieni nominis ruina ad amplitudinem ſplendorémque mihi viam ſternerem. Valete Romæ Cal. Octob. DDCXXXI.

Ab immodeſtia vindicatio.

NVnquam putaui, tam arctos eſſe, & anguſtos modeſtiæ fines. paulò eos patere latiùs, & exiſtimaui ſemper, & exiſtimationis ſpecimen, cùm ſeſe mihi obtulit occaſio, liberè dedi. Itaque ſi quando hac in re peccare viſus ſum, ſic habeto, *Non tam impudenti mihi id aſcribendum, quàm, quid dicere videatur, penitus ignoraui.* Quinimo & illud eximit me à

culpa, exemplo id feciſſe: exemplo, inquam, eorum omnium, qui huius generis ſcriptionem aggreſſi ſunt, Libauij, Sigonij, Scaligeri, Aleandri, Santorelli; imò religioſiſſimorum hominum ac modeſtiſſimorum Ieſuitarum, quos contra Peſcettium ſcribentes (*Efflatio Pulueris* inſcriptus liber eſt) exuiſſe diceres moderationem modeſtiamq; omnem. Nihil dicam de Sigonio, qui Robortellum tam malè accipit, tam variè agit, diſtrahit, diuellitque, vt non ſine admiratione Emendationum librũ legere queas. Nihil de Robortello, qui adeò acer eſt in Eraſmum, Alciatum, Manutium, Muretum, Caſteluetrum, vt culicũ naturam, quæ ad dulcia non aduolant, ſed petunt acria duntaxat, induiſſe videatur. Prætereo Santorellũ, è cuius libro ſi demas aquuleos & querelas, ſchedula potius, quàm volumen erit. Miſſum facio Libauium, qui *rudem, craſſum, ignarum, ineptum, ridiculum, amentem, delirum, maniacum*, appellat Riolanum. Prætermitto Scaligerum, qui Cardanum appellat *audacem, turbidum, lutulentum, falſum, prauum, inſcium, ridiculum, ambitioſum, inconſtantem, ineptum, inconſideratum, confuſum, nequam, barbarum, vacillantem, craſſum, tardum, ine-*

ptum, rudem, tenebricoſum, impudentem, ſtultum. Eiuſdem doctrinam *monſtruoſam, vacillantem, ignauam, lacunoſam, inanem, mancam, abſurdam, impiam, ambitioſam, falſam, miſeram, inconſideratam, frigidiſſimam, rudem, confuſam, impudentem, impiam, peſſimam.* Quid dicam de neoterico illo, qui aduerſus quemdam ſenem medicũ ſcribens, ita librum inſcripſit (*Deliramenta hæmophobi*) ſi inſcriptio ipſa, quæ vt *Domus Cæſaris non ſolùm crimine, ſed ſuſpicione criminis vacare debet*, contumelia eſt, quid de ſcriptione, voluminéque ſperandum vel timendum potius? Quid dicam de Riccobonico, Grucchio, Alcãdro, Schioppio? quid de Romanis ipſis, hoc eſt, de antiquiſſimis illis, ſanctiſſimis, prudentiſſimiſque viris, qui eò ſedulò incubuerunt omnes, vt adoleſcentes ſtatim atque prætexta toga depoſita, virilem ſumpſerunt, accuſando viros nobiles, honoribuſque functos ad gloriam ſibi aperirent? ſic L. Craſſus Princeps in eloquentia C. Carbonem; ſic M. Cicero C. Verrem; ſic M. Cælius C. Antonium Ciceronis collegam accuſauerat. Hos omnes, ceteroſque quotquot ex Latinis, Græciſque ſunt, prætermitto breuitatis ſtudio. vnus ille Andreas Eu-

Digitized by Google

dæmon-Ioannes mihi ſit inſtar omnium, quem velim, iſti religioſuli & verè faſtidioſi æquo animo diligentéque attendant, ſpectentque ſcriptoris perſonam, qui Catholicus eſt, Religioſus,& Ieſuita; quid ſcribatur, quaue de re, hoc eſt, de religione, de Sanctis, de Chriſto; aduerſus quem ſcribatur, aduerſus hæreticum maximæ tum doctrinæ, tum auctoritatis & exiſtimationis apud Reges: quem irritare acerbiori ſcripto, quàm periculoſum ſit catholicæ fidei, quamq; pernicioſum, notius eſt, quàm vt à me innui debeat. Ex ſexcentis propè locis, quæ obiter notaui, nonnulla hîc adſcribam: illud prius ſi monuero, me non ideò proferre huiuſmodi loca, quòd eadem ego, vel ſimillima in Luſitanum ſcripſerim; ſed vt mea potius ex iis innoteſcat moderatio modeſtiaque. Nam in meo Commentario nullas vnquam iniurias, nullas omnino contumelias, calumniaſque, aut obtrectationes reperies; ſed quædam tantùm dicteria, vrbanitates & iocos: quæ non ſolùm patitur genus hoc ſcriptionis, ſed quoduis aliud, longè diuerſum, longè modeſtius. Neq; exiſtimes (quod plerique ineptè acpueriliter putant) vnumquodque ſcribendi

genus laudationes deſiderare & præconia: quia ſicuti, quo ad ſtilum pertinet, diuerſo modo hiſtoria ſcribitur, atque dialogo; diuerſo epiſtola, atque oratio; ita apologia, quod facit ad ſcribendi rationem, diuersè ſcribenda eſt à commentario, vel ſimili. Et quemadmodum ſatyra, exempli cauſa, ſtilum requirit liberum, atque ſolutum, vitia reprehendentem, carpentem mores, in maledicta interdum, & quaſi in obtrectationes pronum; ita apologetica, & cenſoria ſcriptio iocos amat, vrbanitates & dicteria: quibus nempè aduerſarij lepidè concinnéque refellatur opinio, propria comprobetur, inſeraturque faciliùs in lectoris animum. Quod non animaduertens Medicorum vulgus, non ſolùm omnia eodem ſtilo ſcribenda putat, ſéque optimi ſcriptoris munere functum pueriliter exiſtimat, ſi, iocis & vrbanitatibus poſthabitis, præconium aduerſario appinxerit; ſed etiam inſcitè & ineptè vituperat, quæ ex arte, & doctorum virorum præſcripto ſcripta ſunt. ſed hæc παρέργως dixerim, Eudæmon-Ioannem, Lector, velim legas, in refutatione Exercitationum Caſauboni: de quo plura non diſputo: nam hæc bono

facilique homini ſatis; faſtidioſo & peruicaci pluſquam ſatis.

Sed (Candide Lector,) quid multis opus eſt? quid exteros accerſo? ipſe Rodericus à Caſtro, in quem nos acerbiuſculos eſſe putant faſtidioſi, hîc præſto ſit, ſuamque dicat de modeſtia ſententiam, verbo & ſcripto eam atteſtetur. Lib. 2. Meteor. Microcoſ. cap. 5. Capiuaccium, præſtantiſſimum omnium noſtri temporis peripateticum, eximiumque medicum, Vaccini capitis hominem appellat. Montanum Ignauum, Claudinum turpiter Galeni mentem interpretantem, Iouberti Pontijque ſcripta, *Non ſine riſu excipi poſſe.* Licetum (quem virum Dij boni! ſæculi noſtri ornamentum & decus) *Inſanire libuit hunc hominem.* Quid? Non Italos modò, Galloſque, ſed ipſos Hiſpanos, de quorum obtrectatione vel patria pietas eũ temperare debuiſſet, maledictis laceſſit. Franciſcum Valleſium, clariſſimum illius gentis lumen, doctiſſimum prudentiſſimumque ſenem Inſanum appellat. Quid? Ariſtotelis prolatum indignum eſſe ait, quod inter Philoſophos verſetur. Galenum peruicacem appellat, proteruum, pertinacem, turpiter philoſophantem.

Lib. 3. cap. 9. Lib. 4. cap. 2. Lib. de Aſitia. Ibidem. Lib. 4. Meth. Microcoſ. 2. Lib. 2. cap. 1. Lib. 1. cap. 13. Lib 3. cap. 51. Lib. 2. c. 5 Lib. 4. cap. 12.

Ceterùm huiuſmodi conuicia ſicuti omnino damno, & longiſſimè à meo ſcripto exſulare iubeo; ita iocos & facetias amo, laudo & in apologetica atq; cēſoria ſcriptione tanquā leporē quendam & ſalem deſidero. Immo, vt ſūmus ille ingeniorū apex Iul. Cæſ. Scaliger dicere ſolebat. *Quemadmodū conuiciū mucro verborū eſt, ita iocus ſplendor ferri orationis.* Blaterēt igitur, obſtrepant, vtque canes lunæ ſplendori latrent quicunque vel pingui craſſaque minerua, vel maleuola & iniqua peruicacia rectum à prauo, falſum à vero diiudicare neſciunt. Mihi certè ſat eſſe videtur, modeſtique ſcriptoris munere videor planè functus, ſi in hoc ſcribendi genere iis omnibus modeſtior fuerim, qui boni ſcriptores, qui candidi, quique religioſi eſſe cenſentur. Quòd ſi quis eo nomine immodeſtiæ me accuſet, quòd iuuenis ſenem reprehenderim; is ſciat non tantum ſenectuti tribuendum, vt ea quaſi numē aliquod perſanctè auguſtéq; colenda ſit. Vulgatū enim eſſe debet illud Plutar. *In ſola ſparta expedit ſeneſcere.* In Laconicis. ſed *fruſtra cano, ſurdoque*, vt dicitur, *fabulam narro.* A Terentio. Itaque *Manum de tabula:* cum hæc (repeto) bono facilique homini ſatis, faſtidioſo & peruicaci pluſquā ſatis. Cicero ad Fam.

FINIS.

Priuilegium Regis Chriſtianiſſimi.

CAutum Priuilegio Regis ne quis in ſuo Regno aliiſve locis ſuæ ditioni ſubiectis intra ſex proximos annos *Perſij Treui ad librum de Sero lactis, &c.* abſque Sebaſtiani Cramoiſy Bibliopolæ Pariſienſis Iurati, permiſſu, imprimat aut diuendat à die publicationis horum exemplarium: qui ſecus fecerit, mulcta indicta prout amplius in diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Pariſiis.